DE REBUS GESTIS PETRI DE ANDREA COMITIS TROIAE ALIORUMQUE...

Cristoforo Coppola

Digitized by Google

AI
443.8

DE REBUS GESTIS

PETRI DE ANDREA

COMITIS TROIAE

ALIORUMQUE VIRORUM EX EIUS STIRPE

ORATIONES

AUCTORE

CHRISTOPHORO COPPOLA.

II

443.8

DE REBUS GESTIS
PETRI DE ANDREA
COMITIS TROIAE
ALIORUMQUE VIRORUM EX EIUS STIRPE
ORATIONES

AUCTORE

CHRISTOPHORO COPPOLA.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1879

NEAPOLI,
EX REGIO TYPOGRAPHEO.

ANNO M. DCCC. LVI.

Digitized by Google

HIERONYMO DE ANDREA
S · R · E ·
PRESBYTERO CARDINALI
PONTIFICI MELITENENSIVM
ARCHIMANDRITAE SVBLAQVENSIVM
PRAEFECTO SACRI CONSILII
LIBRORVM NOTANDORVM
EQVITI TORQVATO
ORDINIS HIEROSOLYMITANI

CHRISTOPHORUS COPPOLA.

Quod aliis autumnale otium, emenso studiorum curriculo, esse solet, mihi illustrium maiorum tuorum exornandorum studium fuit: ex quo fateor plus me voluptatis cepisse, quam si ad Surrentinam illam amoenitatem tetendissem; aut in Venafranum aliquod, aut Caudinum suburbium divertissem. Sancta enim mihi una modo virtus: ac tum vere vita frui videor, cum de ea cogito, ac recte facta commentor. Quod si etiam contingat eam verbis extollere, atque exor-

Digitized by Google

nare, tum uberrimum studiorum meorum fructum me capere existimo. Id mihi clarissimum tuum genus praestitisse fateor: neque aliquid facultatis meae in illud exornandum contulissem, nisi vidissem de virtute, ac bonis omnibus me benemereri, cum eius laudi servirem. Quare si qua in excelsam domum tuam mea promerita extiterunt, plus est quod tibi ego debeo, quod tantam mihi voluptatem peperisti, quantam ex bonis et fortibus viris collaudandis haurire soleo.

Accipe igitur, Princeps eminentissime, hoc parvum autumnalis otii munus: nam alia maioris studii ac laboris, si quid virium mihi iam defatigato, ac prope senescenti supersit, nepotibus tuis, immo universo christiano orbi reservo, quibus te exhibiturus sum, in quo, ut aquae e diversis fontibus confluentes, omnium insignium avorum tuorum virtutes collectae ac congregatae refulgent.

Etiam atque etiam vale.

Neapoli. Nonis Ianuariis An. M.DCCC.LVI.

Digitized by Google

DE PETRO IOANNIS ANTONII F. DE ANDREA

TROIAE COMITE.

ORATIO.

Illud in votis sapientioribus nostrae civitatis proceribus fuerat, ut si quid litterarum, si quid eloquentiae Deus nobis donarit, in iis illustrandis ac posteritati tradendis poneretur, qui maxime apud nos virtute ac rerum gestarum gloria floruissent. Aegre enim admodum ferebant, cum hic magna virorum fortium ac sapientiae laude clarissimorum copia fuisset, brevem admodum ac contractum eorum censum esse, quorum memoria monumentis consignata ad nos pervenisset, ac gentis totius decus tueretur. Si enim contentio inter Neapolitanam hanc regionem et reliquam Italiam, ne dicam exteras nationes instituatur, rerum gestarum et numero et gloria nos ab illis superatos reperiemus. Huius rei causam si attente

Digitized by Google

perspicimus, id ex eo factum comperimus, quod de patriae gloria parum solliciti hic qui maxime ingenio pollebant, de rebus domesticis aut tacuerint, aut veluti si pudore quodam retinerentur (nam invidia eos laborasse nefas esset suspicari) eas modeste admodum, ac submisse praedicarunt. Atque utinam id solummodo factum esset ut nostras res omisissent; sed quod non sine magno animi mei dolore commemoro, cum domesticis suam operam negassent, alienis benignissime largiti sunt; ut exteri, si quid laudis in eloquentia nostri retulerunt, glorientur eam suae gloriae servisse. Hinc nota illa nostro nomini inusta, nos rebus agendis ineptos esse, atque si quid boni sperari possit, ab exteris petendum, penitus inveteravit. Omnes enim natura illis cedimus, ac paremus, quos meliores esse existimamus. Quare hoc est eorum, qui maxime honorum ac imperii cupiditate ducuntur, ut quidquid ingenii ac virtutis in ipsis sit, amplificent ac in vulgus diffundant; quo cum animos ea opinione subiecerint, facile sit eosdem sibi adiungere, ac ad servitutem adigere. Ab hac causa est, quamobrem exteros tantopere nos suspiciamus ac revereamur, nostrosque homines cum ipsis nec virtutis nec sapientiae laude comparandos ducamus. Haec ut labes eluatur, consilium mihi fuit, ut aliquos carptim eligerem, quos virtute atque honoribus praeditos fuisse rerum nostrarum monumenta vix innuerent; ac quantum verbis adsequi possem, si alia ratione non liceret, eorum laudes illustrarem ; atque illa eos gloria ornarem, quam sibi virtute ac recte factis pepererunt. De Petro de Andrea, Troiae Comite, quis unquam enixe audivit? Et tamen maxima cum rerum gestarum gloria floruisse certum est. Eius me admonuit subscripta monumento me-

moria; ibi eum nisi latitantem, tenebris certe ac squallore obsitum inveni. Eia vir illustrissime; satis iam silentii ac oblivionis tulisti: extitit tandem tuarum iniuriarum ultor. Cum tempore mihi concertatio est: eripiam te ex hoc sive squallore, sive otio; ac tuo te reddam loco, quem tu tibi virtute ac laboribus peperisti. Quod si id mihi eveniet, ut dignam de te posteris memoriam tradere possim, animus mihi fiet, ut reliqui, si sint tuae ut virtutis ita fortunae consortes, eodem honore non careant.

Verum undenam huius viri laudationem exordiar? Aut in quo tandem consistam, cum tanta ac tam varia sint quae mihi occurrunt, ut cum nefas sit aliquid praeterire, haud tantam mihi copiam inesse sentiam, qua omnia complecti, atque explicare possim? Ut enim de suo genere taceam, quod certe clarissimum ex Galliis pluribus iam a saeculis haec domus ducebat, nec aliquid de suis maioribus attingam, qui magna semper et fortuna et gloria praestiterunt, tum apud Illyricos, ubi diu consedit, tum apud Italos, quo se transtulit; hisce denique in nostris regionibus, ubi tandem stabilem sedem ac ornatissimam domum habuit, hic ipse Petrus in tam varia, ac turbida tempora, in tam gravia ac periculosa discrimina incidit, ut vix pluribus orationibus, si vel leviter attingere vellem, tantae res comprehendi ac expediri possent. Satis enim est dicere illo eum tempore vitam duxisse, quo Roberto ex Andegavensium regum genere e vivis sublato, ac haerede una foemina Ioanna relicta, tantis, ac tam periculosis procellis hae nostrae regiones, donec in Aragonensium Principum potestate Neapolitana res conquiesceret, iactatae sunt, ut non sine omnium admiratione, qui haec monumentis descripta legunt, factum

Digitized by Google

videatur, ut penitus miserum hoc nostrum genus ac Neapolitanum nomen non extingueretur. Dum enim duae illae celeberrimae ex Andegavensi sanguine Ioannae sponsum sibi quaererent, quem regem constituerent; at prole deinde carerent, ad quam regimen haereditario iure transiret, nunc huic, nunc illi via patefiebat, qua ad summum hunc honorem aditus pateret. Hinc creberrima illa ac nunquam intermissa Principum potentissimorum concertatio, cui ius potius quo eo potiretur; quod cum non facile definiri posset, en alia gravior certe armorum, ac praeliorum non concertatio sane, sed horribilis ac periculis plena colluctatio.

Haec inter constitutus Petrus, horum sive laborum, sive certaminum pars non minima fuit. Neque enim ipsi aut genus, aut ab avito genere nomen ac ingenium, otium ac quietem concedebant. Cum enim illorum omnium, quos maxime regni cupiditas tenebat, valde interesset ut quos nossent virtute ac gratia pollere, ad suas partes transirent ac ipsis studerent, hinc factum est, ut facile sibi eum adiungerent, ac ad summos honores eveherent. Sanctiori enim consilio adscriptus regi ab aula ornanda, eoque custodiendo erat. Verum quid clarissimum virum in tanta rerum confusione, ac tantis periculis expedierit, tum demum edoceam, cum quid maxime tunc temporis tempestates excitaret, ac quae causa tot concertationum ac calamitatum esset, explicarim.

Una illa erat ambitio, ac habendi cupiditas: hoc caput omnium illorum malorum fuisse, si recte vestiges, invenies. Hoc quidem omnium temporum vitium est; ac in posterum etiam futurum facile divinare possumus; cum nunquam sperari possit, ut mitescant animi, aut minus

Digitized by Google

violenta illa sive naturae sive vitii vis gliscat, qua cum nova semper homines ac maiora adpetant, omnia in quae incurrunt, quae ipsos impedire possint, rapiunt aut impetu sternunt. Verum teterrimae huic pesti magnum remedium repertum, doctrina; tum illa etiam, quae eam sibi sociam facile adsciscit; imo ea ut famula, aut praesidio utitur, pietas ac religio. Quod si parum considerate aliquis a me dictum putet, quaeso sinite ut dilatem orationem; ac quanta vis in hoc sit, penitus evolvam. Homini enim magnus ille sive monitor, sive custos, sive iudex etiam ac moderator datus, officium. Tum magna illa animi vis, ac facultas, conscientia, qua illud sentiat, ac revereatur. Haec homini data, quae loco rectorum ac moderatorum sunt. Hinc prima eius instituta; hinc rationes; hinc omnino vita ducenda. Derivationes quidem sunt legum ac regiminum: sed hae vi tantum ac terrore valent; quae si refrixerint aut mitius agant, erumpunt effreni animi, ac quo cupiditate feruntur, caeco prorsus impetu ruunt. Omnia igitur in officio sunt ac conscientia: hoc cognoscendum; huic parendum. Si igitur ad mala facinora prolabi homines videmus, quos leges ac publica vis non coerceat, hoc inde derivari profecto invenies, quod officium aut ignoretur, aut non colatur. Officium discitur doctrina; hac etiam emollita conscientia illi aut obsequitur submissius; aut si forte deseruerit, cum eo se conciliare studet. En tibi summum illud doctrinae ac eruditionis bonum; quo cum carent homines, quot mala in miseram hanc nostram vitam congerantur, ut perspiciatis, tempora de quibus dicturus sum, vobis proponite.

Litterarum studia sane rara ac paucorum; studiorum autem aut nullae, aut praeposterae rationes. Ergo modica

Digitized by Google

doctrina; rerum inscitia, ac errores vulgatissimi. Quae igitur officiorum scientia esse poterat; aut ubi haec deerat, poterat ne hominum sive cupiditati, sive malis artibus remedium inveniri? Id quidem superioribus etiam saeculis invaluerat; ex quo enim, Romana quassata potentia ac barbaris has regiones occupantibus, beatissima illa veteris Latii atque Athenarum lux extincta est, omnia inscitiae tenebris oppleta reperis. Verum occurrebat tum hominum vitae, quae moderaretur ac regeret, pietas. Huic cum homines facile cederent, integris adhuc a maioribus acceptis sanctorum Ecclesiae Patrum institutis, officiis omnibus facile satisfaciebant, quin de illis cogitarent. Verum labefactata penitus religione, atque ex animis sanctissimis illis institutis obliteratis, quid superesse poterat, quo a malis facinoribus ac cupiditatibus explendis homines retinerentur? Satis ne cum malorum, quibus miserae gentes plerumque premuntur, caput, tum, qua ea medicina curari possint, aperuisse videor?

Verum quorsum haec disputo? Ut cum videritis qua gloria Comes Troiae floruerit, rationem etiam qua eamdem consequi possitis, edoceamini. Quis cum ea legerit quae hic tunc accidisse narrantur, miseras has ac aerumnosissimas regiones non dicet? Dum enim potentissimi reges de principatu contenderent, immensum illud ducum ac procerum vulgus, qui has regiones ex recentiori Nortmannorum instituto sibi diviserant ac possidebant, populos sibi qua gratia, qua vi, adiungere studebant? Hi vero quo vires ac opes augerent, quibus illis quos sequebantur opitularentur, ad arma gentes cogere: domos vectigalibus exinanire; agros vastare; nec ipsis sanctissimae religionis delubris atque aris parcere; omnia pro lubitu mi-

Digitized by Google

scere, ac ruere. Perpetui igitur bellorum tumultus: nunquam intermissae acies ac pugnae: sanguine omnia ac rapinis plena: nullibi otium ac quies.

Eia Petre clarissime, longe a te meae orationis aestus me abduxit; ad te me revoco; in te ut in portu me recipio; in tua memoria ex tantarum calamitatum iactatione conquiesco; te enim video cum tuis illis omnibus copiis ac viribus uni adhaerere, uni constanter studere donec tua te pietas sinit, clarissimo e Dyrrachiensium genere Ladislao. Quis enim dubitat quin tua te id virtus suaserit, ac officio omnino, cum sic agebas, parueris? Mentem advertite auditores; ac quanta vis in hoc viri clarissimi studio sit, considerate. Cum enim officia multa sint ac diversa, negari non potest primum illud locum obtinere, si de rebus hisce nostris loquimur, quod patriam spectat. Huic nos nostraque in primis deberi ille diffitebitur, cui aut patria nulla sit, aut quem patria ipsa indignum repudiarit. Huic autem quotus quisque est ex nostris hominibus, qui se parere ac obsequi gloriari potest? At, studium ne in patriam illud est quo nescio quo furore plerosque videmus exteris impense favere; ac eos sibi non amicos modo, sed dominos etiam optare? Detur mihi venia, si haec liberius disputo. Cuivis rerum nostrarum monumenta litteris tradita a Nortmannici principatus incunabulis ad nostrum hoc usque aevum memoria repetenti nihil studiosius animadvertendum occurrit, quam quod neapolitanum nomen tot, atque tam varias pertulerit regiarum stirpium commutationes, ac tot tantisque calamitatibus inde profectis fuerit conflictatum. Reliquarum enim Europae nationum nullam deprehendimus, quam maior dominationis, et aerumnarum varietas di-

vexarit. Ne singulas rerum vicissitudines indidem illatas oratione percenseam, suppetat commeminisse temporis illius, quo ad Regnum hoc Enricum VI Imperatorem nostrates arcessiverunt, et Nortmannorum, qui iamdiu nostris regionibus insederant, nostris moribus imbuti erant, rebus nostris incolumitatem, splendorem ac maiestatem regiam compararant, progeniem passi sunt exterminari ac deleri. Nonne in omnes plurima redundassent emolumenta, si Rogerii, cuius singulari virtuti ac munificentiae mirum quantum acceptum referebant, posteritatem strenue tutandam, et advenarum alienae ditioni inhiantium conatus non mediocri animorum contentione et fortitudine propulsandos suscepissent? Quomodo neapolitanorum animos tractare, eorum res aequis legibus moderari, cunctis consulere et prodesse potuisset, qui alienis erat moribus, ac vitae ratione penitus diversa? Frustra tunc ii, qui novis rebus studuerant, exterumque Principem arcessiverant, questi sunt gravia imperia, duriora moderamina videri, quae alieno ingenio instituta, alienis moribus conformata nequaqum cum eorum rationibus ac animis congruebant. Et duces erant et proceres, et reguli etiam ac principes opulentissimi; verum re vulgus foedissimum. Quid enim vulgus a nobilioribus distinguit? Non virtus est, atque animi sibi constantis in bono sequendo sententia? Cum tibi igitur aut nullum ius sit; aut unum ius tuum commodum; cum omnia tua hoc solum moderetur, ac regat; cum huic ut pareas, non vereris omnia vel foedissima agere; nulla certa tibi sit sententia; nullum iudicium; omnia vertas ac mutes prout tempora tibi aut favere aut adversari vides, quomodo gloriari audes de nomine, ac honore; cum revera unus

Digitized by Google

ex baiulis sis, ac columnariis? Hac igitur cum peste illorum temporum proceres laborarent, quibus leve erat mutare consilium; ac ab uno ad alium una proposita utilitate se transferre, quid de ipsis sentiendum sit, quos fama maxime celebratos accepimus, facile omnino est iudicare.

Adsit, excitetur Petrus de Andrea; ac quanti sit principem esse ac tanto honore frui edoceat. Iure enim Neapolim Ladislao deberi, quem ex Margherita Ioannae legitimae reginae nepte ortum duxisse constat, quis sanus ambigere posset? Ipsi autem illud validissimum omnium regnorum firmamentum Romani Pontificis auctoritas accesserat, qui sua manu regni insignia ei detulerat. Verum praeter haec alia fortasse graviora Petrum movebant; haec autem studium illud vehementissimum in patriam erat; ac domestici et veluti consanguinei regis desiderium. Quamvis enim ex Gallico et ipse Ladislaus genere erat, tamen quod hic natus atque altus mores vere Italos referebat, Neapolitanus omnino dici poterat. Merito igitur Ioannae domui favit Petrus de Andrea; ac nulla nec vi, nec periculo ab illa avelli ac distrahi potuit. Quis enim nescit quae ex hac Ladislai fortuna procellae excitatae sunt, ac quot mala in has nostras regiones irruerunt? Pudet commemorare, auditores: neque dicerem nisi certo scirem magnam hinc gloriam in virtutem ac religionem redundaturam. Foedissimum nescio quem e trivio hominem subito summum Ecclesiae Pontificem ac Clementem, cum esset inclementissimus, dictum studio Andegavensium factum, his, quo gratiam referret, Neapolitanam dominationem detulisse constat. O miseranda penitus nota Ecclesiae inusta! quae tamdiu deinde in ea resedit; et quam non sine

Digitized by Google

multorum annorum labore ac bellis etiam et sanguine deletam maiores viderunt! Totus christianus orbis veluti discerptus ac in membra concisus in turbidissimo pelago fluctuabat; lugebant boni; timidi avertebantur; maligni ac scelesti exultabant; gemitus ubique ac luctus exaudiebantur; ipsa religio veluti pudore suffusa latitabat lacrymabunda; omnia confusa ac labefactata ruebant. Tot vero calamitatibus regnum hoc propter unam Aloisii Andegavensis, et Clementis ambitionem miserandum in modum afflictabatur. Et tamen his miseri nostri maiores per multos proceres favere viderunt; imo arma pro ipsis capere; ac excluso Neapoli rege, eos amplecti ac venerari.

Quis tuus erat tunc animus, Petre, aut quae animi sententia? Quod studium? quae ratio? qui omnino obtutus ac vultus? Tuam tu tunc tibi patriam proponebas; tum ius ac religionem, omnino officium: ergo ab omnibus amicis proceribus recessisti; ac legitimo tuo regi, nullo vel fortunae, vel vitae discrimine permotus, constantissime adhaesisti. Adsidebant tibi consiliariae ac duces, patria ac religio; has tu in consilium habebas; cum his tua negotia conferebas; ab harum nutu oculos non avertebas; ac Andegavensium ambitioni fortiter restitisti, quod caram patriam ac eximiam religionem habebas.

Verum ea erat temporum conditio, ut in officio cum multum honestatis ac gloriae esset, tum discriminum etiam affatim ac periculorum. Cum enim bruta vi potius quam ratione plerique homines se duci sinant, iis non satis est officium proponere quod revereantur; verum vi pugnandum, atque armis quod iure obtinere non potes, extorquendum. Hinc magna illa armorum illa aetate exercitatio atque usus: ut cum nunc illi maxime celebrentur, qui doctrina ac

Digitized by Google

scriptis populorum ac regum iura explicant, ac tuentur; ita eos tunc temporis praecellere ac celebrari invenies, quos maxime in armis tractandis ac bellis exercendis, fortes experirentur. Ergo et hanc etiam sive virtutem sive gloriam Petro de Andrea fuisse memoria proditum est: neque alicui mirum videri debet, si cum civiles eius virtutes ac doctrinam laudarim, iis nunc accenseam, quibus maxima armorum tractandorum gloria contigerit. Neque enim tanta ei Ladislaus tribuisset, nisi aptissimum in bellis exercendis expertus esset. Qui enim de huius regis ingenio ac studio audire potuit, certe non ignorat eum, ut bellicae gloriae cupiditate maxime ducebatur, ita eos potissimum caros habuisse, quos videbat eadem alacritate ac studio flagrare. Ergo in id semper oculis ac mente incumbebat, ut qui bellis gerendis sive natura sive studio aptissimi viderentur, sibi adiungeret; quos autem vere fortes in aliquo praelio animadvertisset, hos nequaquam cessare patiebatur; sed statim ad summos militiae gradus extollebat. Id Petro contigisse testis Roma quo tempore eam Ladislaus infesto agmine occupavit. Cum enim re romana aliquo modo composita alia multa bella animo ille suo volveret, urbe discedendum erat. Dux ergo eligendus, cui custodienda illa traderetur. Unus aptissimus iudicatus Petrus de Andrea, Troiae Comes. Quis enim nescit quo tunc loco Ladislai res locatae essent; ac quantis periculis illa sua nova dominatio obiecta? Neque enim si Romani Pontificis in illa Ecclesiae colluctatione arma conquiescerent, quiete illi qui eam occupasset frui licebat. Ut enim Romani perduelles quiescerent, qui paulo ante exorti atque arma capientes, dominatione Pontificem privare conati erant, quamplures erant, qui regno illi immine-

Digitized by Google

bant, ut quod Pontifici vi ereptum fuerat, sibi armis adiudicarent. Furebat in primis Paulus Ursinius, celeberrimus ille temporum illorum bellator, cui cum prospere quamplurima praelia cessissent, nihil non posse sibi armis arrogare putabat. Ergo omnibus suis veteranorum ac optime exercitatis copiis contractis Capitolio imminebat; ac Ladislao urbe exire imperabat. Animum ipsi Andegavenses faciebant, qui cum pro suffecto Pontifice se laborare dicebant, Romanam dominationem avidissime quaerebant. His autem quamplures ex italicis principibus ac civitatibus favebant, quibus cum Ladislai potentia maxime odiosa, tum suspecta ambitio, quod merito verebantur ne si ille urbe quiete potiretur, facile illinc ad eos adlabi ac ipsos subiicere fuisset. His tantis ac tam gravibus certaminibus ac hostibus obiectus erat, qui pro Ladislao rem romanam moderaturus erat. Nec dubium regi fuit, quin tanto muneri Petrus de Andrea par esset. Neque eum sententia fefellit. Tantus enim terror omnes invasit, cum sua illic arma Petrus explicuit, ut nemo ne dicam aggredi, sed ne movere sese quidem ausus fuerit. Quid enim bellicarum virtutum deesse illi poterat, qui cum animum vere italicum gereret, tantum ludum ac magistrum, dum Ladislaum adsequeretur, nactus erat? Quis enim nescit quantas ille res ac quam periculosa bella gesserit? Neque enim si regionum harum terminis illa bella continerentur, minus in iis instituendis periculi aut in conficiendis laboris fuisse putandum est. Cum acerrimis illi hostibus confligendum; saepius autem accidebat, ut ancipiti bello premeretur, cum hinc inde subiti tumultus exorirentur, aut potentissimi eum duces adpeterent. Ergo eodem tempore illum et in Vestinis, et in Brutiis, et in Campania, et in Apulia

Digitized by Google

pugnasse audis : neque interea ab externis hostibus quies; cum semper Andegavensium classis immineret, aut Italorum etiam, qui eis favebant, ferocissimi exercitus urgerent. Omnibus aderat Ladislaus, ac suis copiis sapienter divisis, omnibus resistebat; neque domum, nisi debellasset, se recipiebat. Itaque tot pene triumphos egit, quot praelia commisit. Horum non spectator modo, sed omnino socius ac pars Petrus fuerat. Cum igitur ingenio illi suo ad arma tractanda nato haec exercitatio accessisset, quid mirum, si summum bellicae laudis gradum attigerit?

Non me latet, auditores, Petro tandem urbem ereptam; atque eum copiis dimissis, non militiam modo, sed ipsum Ladislaum, quin et patriam aliquandiu deseruisse. Verum unde id factum, nisi ex illa officii observantia, cui se devoverat? Neque enim si rei bellicae tam impense Petrus studebat, religionem ac pietatem negligebat. Quamvis enim ea sit opinio armorum tractationem cum pietatis studio non facile consociari, negari tamen non potest extitisse aliquando viros, qui utraque laude florerent; atque horum memoriam maxime apud omnes gentes celebrari. Itaque Virgilius, cum summi principis exemplum suis romanis proponere vellet, Aenaeam finxit, in quo haec duo consociata praecellerent, bellica virtus ac pietas. Sed nos poetica commenta mittamus, cum clariora exempla suppetant: mihi vero opus non est haec ex aliarum gentium monumentis quaerere, cum praeclarissimum hoc lumen affulgeat, in quo optimi ducis exemplum intuear. Et re quidem vera, quae tunc temporis in sacra re acciderent, paulum considerate. Cum enim tres una de Ecclesiae principatu contenderent, tandem sacri Principes ut foedissimum illud ac sane pestiferum dissidium tolleretur,

Pisis convenerunt; ac omnibus qui vi se in sacra intruserant sublatis, tandem Pontificem constituerunt. Hic ut renunciatus est, ad rem romanam repetendam animum convertit; ergo Ladislao significavit, ut si vere pro Ecclesia laboraret, ei Romam restitueret. Hic quale esset huic regi ingenium patefactum est: neque pietatis studio sed cupidine regnandi adductum, urbem iis qui occupaverant, eripuisse. Ergo persistebat. Verum alia erat Petro animi sententia; alio ingenio is, cui Romam custodiendam tradiderat. Audito Pontificis nomine Petrus de Andrea cohorruit; ac tantum abfuit, ut urbem retinere tam turpi scelere vellet, quin dimissis copiis ultro cessit, ac solum etiam vertit.

At quae nunc eum regio excipiet? quam fortunam sequetur? quae omnino erunt viri fata atque exitus? Tanta certe virtute Neapolis carere non poterat; eius desiderio penitus confici publica res visa est. Ergo statim omnium ordinùm studio revocatus suo loco repositus est. Intelligebat quippe rex uno officio ac pietate adductum Petrum, ut minus acriter in urbe tuenda rem gereret. Viros autem fortes, qui officio constanter serviunt, caros habendos; ac tum maxime aulas iis indigere, cum plerique eorum, quibus honores mandantur, a Principe deficiunt. Hac spe Petrus de Andrea revocatus est; neque ea fefellit: statim enim palam factum est iis solum publicas res ac negotia tuto committi, qui se ac sua omnia officio ac pietati permittunt. Si enim magnum bellicae virtutis antea, cum bellator rex rerum potiretur, specimen Petrus dederat, mutatis deinde rebus, cum debellatis hostibus, ac confirmata pace omnia quiescerent, decus ac otium erant asserenda. Haec in magnum discrimen adducta erant; his virtute ac

Digitized by Google

religione erat providendum. E vivis enim Ladislao ac qui erant ex eius sanguine sublatis, res ad foeminas rediit: itaque altera Ioanna regni habenas suscepit. De hac nihil dico amplius, auditores, nisi quod, cum a nuptiis abstineret, ad omnes vel foedissimas libidines vulgata est. Qui ea maxime abutebatur, Pandolphulus quidam erat, cui quo mollior ad voluptates animus, eo procacius ad honores ambiendos ingenium. Hic singulari studio cum Reginae voluntati obsequeretur, facile eius animum sibi subiecit. Quare ex turpissimo proco subito rex factus, rem neapolitanam insolentissimo arbitratu flectebat. Huic igitur vel honestissimi proceres parere cogebantur. Quomodo haec tam dura ac tam nefanda servitus ferri poterat? Sapientissimi igitur qui essent e neapolitanis proceribus cogitare coeperunt, qua hoc iugo se ratione liberarent. Opportunissimae visae nuptiae, per quas cum regina sancto se vinculo uni coniungeret, tum omnis eriperetur proco libertas illa abutendi, ac rempublicam pessundandi. Id caute reginae propositum; neque ipsa abnuit; Iacobus Umbriae Comes coniux designatus. Id sibi placere Ioanna dixit. Ergo statim nuntii missi; voluntas Iacobi explorata: omnia composita; dies denique designati quibus ille Neapolim veniret, quo nuptiae conficerentur. Haec cum agi Pandolphulus videret, sentit suam potentiam attentari. Et quamvis nihil intentatum relinqueret, quo nuptias turbaret; tamen quod reginam ipsam in eo consilio firmam vidit, ad alia se convertit. Intellexit unum ipsi superesse effugium, si minus auctoritatis regio sponso esset. Quamobrem ita rem temperari posse iudicavit, si ille ex coniugio nonnisi reginae vir haberetur; regnum integrum Ioannae relinqueretur: id vero quo solemnius

Digitized by Google

fieret, abiudicandum regis nomen comiti; ut suum retineret, omnino statuendum. Haec cum reginae significasset, facile confirmata sunt. Vide nunc qua ratione rem perficiendam curavit. Statuit Iacobo Neapolim iam adventanti obviam mittere, qui honoris causa consalutatum deducerent. His vere negotium datum, ut nonnisi Comitis nomine eum appellarent; neque alios ipsi honores, nisi quibus Comites utebantur, deferrent. Cum vero quaereretur cui tam gravia mandata darentur, statim occurrit Sfortia celeberrimus ille dux conductitius, qui iampridem se suasque copias reginae locaverat. Cum enim magna hic auctoritate pro bellica sua virtute polleret, sperabat Pandolphulus nihil abfore, quin omnia ex sua sententia caderent.

Verum magna turpissimo huic pugna erat cum sapientissimis, quibus aliquid etiam suae gratiae ac publicorum munerum regina impertiebatur. Principes consilii Iulius Caesar Capuanus, ac Petrus de Andrea fuerunt. Hi cum perversa Pandolphuli consilia perspexissent, vertere ac interturbare cogitarunt. Ergo Neapoli egressi magnis itineribus ad regni fines progressi sunt, ac Sfortiam anteverterunt; ac cum Iacobum obvium habuissent, regem consalutarunt, omnesque regios ipsi honores habuerunt; tum, quae Neapoli fiebant, edocuerunt; ac, ut regia utens auctoritate tantis malis mederetur, hortati sunt.

Hic nihil dico amplius, auditores: Petri tantum constantiam, ac incredibilem animi fortitudinem considerate. Advenit tandem Sfortia; et ut erat ingenio audacissimo, quamvis omnia, quae facta erant, audisset, animum non despondit, sed Iacobo occurrens, eum Comitem salutavit; neque alios honores, nisi Comiti debitos, tribuit. Abscesserat Capuanus: alii etiam digressi erant: unus substiterat

Digitized by Google

Comiti Umbriae adsidens Petrus de Andrea. Cum hoc leve sibi esse certamen Sfortia crediderat: suo illum conspectu deterritum facile cessurum. Verum statim suae sive audaciae sive stultitiae eum poenituit: constanti enim vultu Petrus adstitit: et quoties ipsi humili illo Comitis nomine Iacobum appellabat, toties hic regem imperturbatus salutabat. Ergo victus Sfortia a suo consilio destitit, ac quievit.

Verum verbo quo decuit usus non sum: quomodo enim audax eiusdem ducis animus quiescere poterat? Dissimulavit potius, ac iram paullum continuit: huic autem ut pareret ac totam effunderet, tempus quaerebat. Rege enim Neapolim deducto, ac nuptiis confectis, cum regio eum non modo nomine, sed omnino honore ac auctoritate frui videret, non tulit pronus ad iram Sfortia; ac graviter commotus, Principes legationis illius in ipsa aula aggredi non dubitavit. Caesarem Capuanum in primis petebat: Petrus de Andrea aberat: magna statim concertatio exarsit: res ad vim ac caedem inclinabat: strictis enim gladiis, se petere coeperant; perterriti qui aderant se continebant; Caesar tantum resistebat; sed nequaquam cum Sfortia comparandus erat: itaque inito certamine sine dubio victus fuisset: trepidabant adstantes proceres, nec quid consilii caperent, suppetebat; en ab adversa ianua Petrus; qui subito erumpens oculorum primum coniectu, ac voce Sfortiam tremefecit; accitis deinde militibus eum comprehendi, ac in carcerem detrudi iussit.

Tanta ne huic viro virtus, ut cum Sfortia, quem vel ferocissimae gentes, ne dicam duces fortissimi, reverebantur, congredi non dubitarit? At qui ipsi casus imminerent, si ille libertatem nancisceretur, non vidit? Quomodo enim non ulcisci, non in eum omni vi, imo furore

Digitized by Google

Sfortia irruere non posset, si nemini unquam vel potentissimo bellatori pepercit? Haec certe sapientissimum virum non latebant: sed tanti ne erant, ut eum ab officio abducere deberent? An non suum erat, ea tunc ratione agere? Num strenui illius ducis viribus et favore Pandolphulus ea tempestate adnitebatur pristinam sibi vindicare libertatem ac dominationem, magnam regiae domui, ac nomini notam inurebat, quod audebat tantas in ea turbas excitare; ac eam castra quodammodo, quibus pugnaret, facere. Huius curam Petrus gerebat; ipsi etiam regis vita credita; ad suum igitur munus, imo omnino ad officium non pertinebat quod ab eo tunc patratum est?

In hunc, Sfortia, ex isto carcere eductus, quantam animo collegisti iram, effunde. Irrue ista tua firmitate in Petrum. Eum furori tuo devotum macta. Quid tu damni illi inferre putas? Unum sapienti bonum officium: huic cum paruerit, nihil sibi superesse, quod appetere, aut quo frui possit, sapiens putat. In hoc conquiescit: hac se merce satis divitem ac beatum existimat. Petrus quidem adcensendus non est iis, qui lucro ac suo commodo serviunt. Ea vero non hominis, sed pecudum servitus est. Horum enim est voluptati tantum parere; quod ventri obedientia natura finxit: homini officium propositum; huic servire, summa eius gloria est. Ergo cum taurorum ac caprorum pugnae narrantur, quis eorum tandem vicerit, quis occubuerit, refertur: aliter de hominum pugnis sermo instituitur. Hic de iure ac officio primum quaeritur. Quamobrem illi semper victoria certa; illi decus ac laus, cui certius ius, quod erat armis asserendum. In qua pugna si adverso Marte succubuerit, eo maius illi decus erit, quo prae-

Digitized by Google

clarius facinus est, se suaque omnia officio devovere. Haec pulcherrima penitioris sapientiae documenta, quibus Petri animus ab incunabulis prope fuerat imbutus, eum ad omnes vitae dimicationes, omnia capitis discrimina subeunda perpulerunt; quo factum est, ut amplissimam ille reliquerit haereditatem, virtutem. Hac vero cum utatur Petri de Andrea soboles, summos in republica honores occupat, et praeclarissimo romanae purpurae splendore in Hieronymo de Andrea ornata, toti terrarum orbi affulget.

Honori et nomini eius haec dedicata est inscriptio Neapoli in templo sancti Petri a Maiella.

IMMORTALITATI NOMINIS
PETRI DE ANDREA V· C·
GENERE VLTIMA AB ORIGINE ILLYRICO
COMITIS TROIAE
SVMMI STRATEGI IN EXERCITV NEAPOLITANORVM
ITEM REGIS LADISLAI A NEGOTIIS PVBLICIS
MAGNI SENESCHALLI DECVRIONIS CVBICVLARIORVM
QVEM IPSI AEQVALES EIVS
A BELLICIS VIRTVTIBVS COMMENDARVNT
ADVERSAE RES TENACEM RECTI
MAGNANIMVMQVE PROBAVERE
MORTEM OBIIT INVICTVS ANNO MCCCCXVI·
HIERONYMVS DE ANDREA
INLVSTRATORI GENTIS SVAE EXIMIO
TITVLVM INSCRIBENDVM CVRAVIT
ANNO MDCXCI·

Digitized by Google

DE IOSEPHO PHILIPPI F. DE ANDREA

PATRICIO CALATAHIERONIENSE.

ORATIO.

Ea sane est humani generis constitutio, ut incredibilem morum varietatem in eo deprehendamus, qua non modo genus a genere, gentem a gente distingui, sed integras domos, atque eiusdem nominis stirpes etiam ac capita discerni ac segregari videmus. Itaque illud fieri cernimus, ut variam cum gloriam, tum dedecus etiam, ac turpitudinem diversae familiae sortiantur; et cum aliquae sint in quibus parentum vitia in universum genus propagata integram gentem constituerint malorum; plerosque contra extitisse novimus, quibus veluti haereditario iure virtus ac boni mores contigerint, per quos omnibus se commendarunt, ac aeternum universo generi decus pepererunt. Hanc vero tam eximiam, tam admirabilem vitae innocentiam, et morum integritatem, quam in omnibus prae-

Digitized by Google

stantissimi alicuius viri posteris perennare animadvertimus, tribuendam esse religioni, ac vehementiori piorum operum studio certum est. Verum et illud etiam extra controversiam est, ipsi religioni ac pietati ut malos ab radice mores obstare, ita non parum sanguinis ac ingenii bonitatem favere. Quare illud mihi tuto affirmare posse videor, tum demum optimum genus existere, cum utraque consociata, nempe praeclara quaedam natura, ac pietatis studium congruant ac conspirent. Haec mihi rerum monumenta perlustranti occurrebant, cum in ea inciderem, quae a maioribus nostris de clarissimo genere de Andrea accepimus, ac cum iis, quae ante nostros oculos sunt, conferrem. Hoc video genus nunquam lutulentum, nunquam turbidum; sed purum semper ac pellucidum fluxisse; ut cum ex varietate locorum ubi consedit, ex longa annorum serie quibus viguit, ex munerum etiam ac officiorum diversitate, quae exercuit, omnes humanae vitae vices expertum sit, sibi tamen semper constiterit; ac eodem ubique vultu, eadem specie constantem cursum atque aequabilem tenuerit. Id per continuam illam bonorum ac fortium virorum seriem factum video; per quam cum virtus ac sapientia semper renovata revivisceret, nunquam vis illa, ac veluti viriditas cessavit, quam cum a parentibus nati acciperent, propriam universo generi virtutem ac gloriam excolendo atque augendo fecerunt.

Iam de Petro de Andrea, Troiae Comite, si non quantam habuit virtutem, ea saltem, quae ad nos pervenerunt, quantum per meam tenuitatem licuit, praedicavi: alia certe maiora de iis, qui ab illo capite ac fonte promanarunt, dicenda sunt: sed ne tanto temporis intervallo amplissimae huius domus virtus cessasse credatur, unum libuit ex oblivionis tenebris vindicare, atque in adspectum

Digitized by Google

proferre. Is Iosephus est, qui cum multos sibi honores virtute ac sapientia compararit, ita ad communem huius nostri generis laudem pertinere arbitratus sum, ut nobis accurandum omnino sit, ne eius memoria careamus. De eo igitur dicere constitui; ac si minus digna tanto viro laudatio videatur, quaeso ne id magis voluntati aut ingenii mei tenuitati, quam monumentorum inopiae ac temporum diuturnitati tribuendum putetis.

Et re quidem vera, cum varia sint humanae vitae instituta, ac pro ingeniorum diversitate distinctae rationes ac facinora dispertita; una tamen semper atque eadem virorum fortium forma est, ac conditio. Una ipsi virtute reguntur; ac quidquid agunt cum nonnisi ex virtutis ac sapientiae ratione instituant, ita ad virtutem etiam, quaecumque efficiunt, referuntur. Quis enim cum audierit praeclara Petri de Andrea facinora, non divinarit clarissimam hanc domum ad arma tractanda, ac bella gerenda natam? atque hoc esse totius huius gentis fatum, ut in ea nostri huius regni praesidium adversus ingruentes undique bellorum tumultus, ac vitae discrimina constitueretur? Et tamen contra omnino accidisse cernimus; ut cum Petro militaris huius domus virtus extincta videretur, ac ex multis virtutibus haec veluti umbratilis, ac quieta doctrinae, ac sapientiae viguisse. Ergo illud mihi recte intelligere, ac omnino statuere posse videor nativam huic domui virtutem esse, ac sapientiam, alia insita atque adducta: quamobrem haec semel extincta, non revixisse; illam aeternam vigere, ac splendescere videmus.

Iosepho de Andrea una a teneris optatissima sapientia. Adiuvabat adolescentem ingenium, ac nativa quaedam animi innocentia ac candor. Ut facie erat honestissima, ac tota membrorum constitutione aptissimus, ita alacri mente ac

Digitized by Google

spiritu ad multa discenda paratissimo. Ergo exercitationibus litterariis totum se dedit: atque ex multis artibus ac disciplinis illas elegit, quae ut dignitate omnes praecellunt, ita illis sunt carissimae, quibus singularis inest vis atque alacritas, qua ad coelestia ac divina feruntur. Ergo sacris ludis operam quamplurimam dedit: ac cum sacerdotali militiae nomen dare cogitaret, sanctissimis ecclesiae institutis apprime informatus est. Ergo quod aliis tirocinium, Iosepho militia fuit. Qualis enim miles pluribus confectis stipendiis, ac spoliis opimis onustus ad suos se recipit, talis ille inter socios enituit. De omni enim re gravissime disputabat; de utroque iure sapientissime respondebat; ac summa facilitate quidquid dubitationi aut controversiae obnoxium incidebat, magna linguae copia ac ingenii ubertate disertissime enodabat. Id cum Calactae Hieronis, ubi tum domus clarissima sedem habebat, Episcopo innotuisset, in communi eum ordine iacere passus non est; sed ad summum statim evexit: albo enim eorum, qui in maiori ecclesia sanctiora officia persolvunt, adscriptum voluit.

Verum ad alia longe maiora ingenio illo suo acerrimo atque exercitatissimo ferebatur Iosephus. Quamvis enim ille summus sit humanae vitae gradus, si quis terrenis hisce nostris ac vulgaribus curis se expediat, ac se colligens in rerum perscrutatione cogitando perseveret; negari tamen non potest eam inesse humano ingenio vim, ut cum ea, quae extra naturam sunt, assurgendo attingat, ad vitae usus ac vitae consuetudinem veluti externatus accedens, multa etiam, quae ad hominum utilitatem ac civitatum commoda pertinent; et instituere et perficere possit. Tunc maxima illa hominis dignitas existit, quam praeclara facinora sapientia informata pariunt, per quae

Digitized by Google

cum communis vita reficitur, atque augetur; tum privatae etiam rationes ac decora amplificantur. Ancipiti hoc studio atque ingenio in utramque partem comparato qui pollent, his singulare genus esse, hos ad immortalitatem prorsus natos dicimus. Hoc ingenio, virtute, ac vi praeditus Iosephus, quomodo illis se limitibus continere poterat, quibus eorum vita circumscripta est, quibus cum nonnisi una vis sit cogitationis ac mentis, sibi tantum vivere, ac sacris vacare possint? Ergo erupit e Templi angustiis acerrimus ad omnem virtutem iuvenis; ac cum nulla lege sacris deberetur, quod ex illorum temporum moribus fieri licebat, umbratilem sacerdotalium officiorum exercitationem cum militia commutavit.

At quam militiam secutus est? quibus praeliis se addixit? quae prorsus arma tractavit? quibus cum hostibus ac qua ratione conflixit? Huc animum advertite, auditores; ac cum novum acerrimi ingenii impetum videritis, quanta vis communi nostro generi sit, intelligetis; ac idcirco cum nostrae nos inertiae pudor ceperit, desinemus tandem queri, quod videamus mala in civitatibus insidere; et vitam quotidie senescere, ac penitus corrumpi. Ea enim revocanda, quae superioribus saeculis in nostris hisce regionibus facta sunt. Neque enim si tanta nunc sibi nostri homines tribuant, ut nunc primum aliquid cogitasse ac tentasse praedicent, cessasse maiores, ac nihil egisse putandum est. Si enim ea hominum maxima virtus, si sciant commodius aedificare, navigare, agros colere, ac mercaturam exercere, concedo nostros progressos esse, ac habere haec tempora, quo supra maiorum aetatem se iactent. Sed si illa vera hominis gloria, ut cum privati mores ac vita, tum communes ordines ac civilis societas renovata floreant ac splendeant, fateamur illa esse hominum digna stu-

Digitized by Google

dia, si nova instituta, novae rationes atque artes inveniantur, per quae virtus, pietas, et quae omnia complectitur, ac perficit religio, vigeant, ac propagentur. Huc animum maiores nostri appellebant; hoc instituebant; hoc properabant; hoc genere dignum studium existimabant, ut si quid vitii in mores irrepsisset, aut aliqua ex parte religio laboraret, succurrerent statim studio ac labore; et, qua liceret ratione, repararent atque instaurarent. Hinc vides varias ab illa aetate ortas ac proseminatas familias, quae cum insignem aliquem virum auctorem ac veluti parentem haberent, late per universum terrarum orbem se diffunderent; ac sanctum ubique veluti signum extollerent, quo quos malae cupiditates, atque errores abegissent, ad frugem revocarentur, ac patrum institutis restituerentur. Hinc magna illa nomina Benedicti, Augustini, Francisci, Dominici, Caietani, Ignatii, Camilli, Vincentii a Paulo, Francisci Caracciolo, ac nuperrime Alphonsi Ligorii, aliorumque celebrantur. Hi omnes cum vita ad perfectissimae sapientiae exemplar informata, tum doctrina atque eloquentia senescentem quodammodo religionem renovare, ac mores et pietatem instaurare studuerunt.

Verum non illud hominis ingenium, ut sapientiae quae proponitur cedat; ut satis sit verbis cohortari ac commemoratis officiis, vel efferatos emollire, vel effraenos coercere, vel languentes, ac cessantes incitare. Saepe enim aversi, ac penitus obdurati, quod ratione ac iudicio infirmare non possunt, vi atque armis amoliri conantur. Alii autem sunt qui cum nonnisi vitae commoda ac voluptatem sapiant, his tantum cedunt; ut quamvis resistere non audeant, ad te tamen non accedant, nisi spe aliqua, ac vitae bono pellicias ac tibi iungas. Ergo quamvis

Digitized by Google

sanctissimi illi viri, quamplurima bona in religionem ac pietatem sapientia ac doctrina conferrent; manca semper erat piorum cura; atque aliquid huic hominum flectendorum studio deesse videbatur: atque aliae rationes, ac instituta ineunda, per quae protervia malorum frangeretur, ac timidorum imbecillitati succurreretur. Id per eos militares ordines factum, quorum vix nunc nomen superest; apud maiores nostros maxime celebratos fuisse accepimus. His sapientia non deerat: neque enim tanta instituere atque aggredi, tantos labores pro tuenda religione ac pietate suscipere potuissent, nisi animo essent ad omnem virtutem informato. Sed adhuc opes, ac ingenium ad arma tractanda comparatum, desiderabatur. Haec illi addebant: ergo insignis quaedam fortissimorum hominum, ac omni virtute praeditorum militia existebat, qui qua voce, qua manu atque auctoritate quocumque eos religionis ac pietatis fatiscentis ruinae vocarent, advolarent celerrime; atque omnia componerent, ac tutarentur.

Ex hisce autem praeclarissimis ordinibus primum locum illum obtinuisse, quem Hierosolymitanum passim appellatum invenimus, quis audeat inficiari? Age eius exordia, formam, officia, instituta omnia, ac rationes paulum consideremus. Quis enim cum oculos ac cogitationem ad ea convertat, quae in Asia per Arabas primum, deinde Turcas facta sunt, non horret? ac quam misera fuerit illis in regionibus religionis conditio, non intelligit? Nonne iterum captum divinum nostrum Reparatorem, ac hostibus ferocissimis traditum, quo in eum, quidquid irae supererat, effunderent, ac penitus eius memoriam, quemadmodum olim mortalem vitam, pessundarent, maiores viderunt? Qui enim Arabas, ac Turcas Mahumedi devotos audit, infensissimos christianae religionis hostes audit. Cum enim illud

Digitized by Google

mortalium cupidissimis propositum esset, ut ubique terrarum impii illius circulatoris nomen ac cultus propagaretur, omni conatu in id incumbebant, ut Christi memoria penitus obliteraretur; ac pro illius institutis ac legibus absurdissima Mahumedis commenta urbes acciperent. Horum interea in potestatem loca illa sanctissima venerant, quae Reparatoris ortu ac obitu celebrata, omnium gentium concursu, ac religione frequentabantur. Quis igitur non videt magnum hinc in discrimen cum religionis decus, tum fidelium populorum cultum adduci? Neque enim si spiritus Deus, spiritu tantum colendus, ac ea negligenda sunt, quae sensus attingunt, ac corpore peraguntur. Animus enim nisi specie, atque attactu iuvetur, facile deficit; atque ad ea, quae magis alliciunt, dilabitur. Quamobrem sanctus semper in Ecclesia operum usus, in quibus cum animi vi, tum corporis etiam ministerio utimur. Ergo magnam ad excitandam ac fovendam pietatem illorum locorum vim esse maiores nostri existimarunt, si per ea Reparatoris memoria vigeret, ac populorum in eum studium foveretur. Cum igitur haec impii illi ac turpissimi obtinerent, non penitus interclusi erant ad illa aditus; ac omnis eorum invisendorum spes erepta. Id animum maiorum moverat: quare celeberrima illa ingentium copiarum itinera ad ea extiterunt, quae a misera illa servitute vindicarent, ac fidelium populorum studio patefacerent. Verum non adeo felix bellorum illorum exitus fuit, ut libertatem omnino loca illa nanciscerentur; neque adeo constans ac diuturna dominatio, ut iterum in impiorum potestatem non ceciderint. Alio ergo studio, aliis laboribus opus erat, quo a tanto periculo cum loca ipsa, tum qui ad ea accederent, liberarentur. Respiciebant enim fideles populi illas regiones; ac cum studio ardentissimo

Digitized by Google

illas adeundi tenerentur, dolebant aut impeditos omnino aditus, aut non sine magno periculo, ac sanguine etiam et caede penetrari. Verum cuinam tantae vel vires, vel opes, vel animi etiam, ac studium quo huic malo occurreret, ac omnium gentium votis satisfaceret? Tibi, Italia, tibi hae partes mandatae erant; tibi Deus hoc sive onus, sive decus dederat, ut religionis caput ac magistra existeres; tuum igitur erat eius defensionem in maximis eius discriminibus suscipere: non fuit enim tibi tum bellorum, ac militarium itinerum studium, cum aliqua regni ac dominationis dilatandae spes affulgeret; nec, cum haec deesset, ardor omnis refrixit; ac sanctorum illorum locorum defensio oblivioni mandata. Pietatis totum hoc opus erat; una pietas desiderabatur, qua nulla proposita spe, nullo lucro, imo cum fortunarum ac vitae periculo locorum illorum religioni consuleretur. Verum cui tanta vel pietas, vel abstinentia, ut cum magno suo detrimento atque incommodo uni Christi Domini laudi, ac sacro populorum studio serviret? Animis alacribus atque erectis opus erat; qui cum vanis hisce curis se expedirent, omnes suas vires eo intenderent; ac quidquid vel ingenio, vel opibus valerent, ad sanctissima illa loca tuenda, eosque qui ea adire, ac colere vellent, fovendos conferrent. Id tu et cogitasti, et perfecisti: neque suam laudem huic amplissimae sane Italiae parti deesse aequum est: cum memoria proditum sit, Amalphitanae gentis hoc piissimum institutum totum fuisse, ac clarissimam illam civitatem, cum classe ac maritimis opibus multum polleret, tanti facinoris gloriam quaesivisse, qua ordo ille amplissimus institueretur, per quem cum religionis decus assereretur, tum fidelium populorum pietas foveretur. Quid enim aut sapientius institui, aut prudentius agi, aut

Digitized by Google

felicius terminari potuit? Viri nobilissimi electi: hi cum nuptiis interdicti, quo omni cura soluti in opus illud toti incumberent, tum severissimis legibus adstricti, quo ubicumque essent, quamcumque artem exercerent, coirent tamen spiritu, atque in unum convenirent; unumque semper et spectarent et agerent, sanctorum illorum locorum defensionem.

Clarissimi huius ordinis instituendi cum pars non minima haec domus, de qua loquor, fuit, quae Amalphi iam consederat, tum lumen, ac incrementum addidit. Quid enim tanti viri ingenium atque animum ita doctrina ac pietate comparatum retinere potuisset, quin nobilissimae huic militiae nomen daret; ac in partem illorum laborum veniret, per quos tantum christiano nomini decus, tanta gentium pietati alacritas adderetur? Quid enim illi obstare poterat, quin in eum adscriberetur? Generis ne nobilitas? At illa tanta erat, per avos, atavosque pluribus iam saeculis probata, praesertim in eadem militia per Laurentium de Andrea, et per Antonium de Andrea, tantis titulis ac monumentis clarata fulgebat, ut vix suum nomen delatum est, omnium statim suffragio sit cooptatus. An doctrina atque ingenium? Huius iam tot ediderat specimina, ut non Calactae Hieronis tantum, sed in universa insula Sicilia celebraretur. Virtus ac illa animi magnitudo, quae ad tanta capessenda quaerebatur? Ad omnia iam paratissimum cum quae antea gesserat, tum ipse oris habitus ac nativa quaedam alacritas probabat. Age haec mittantur, quae in minimis ponenda sunt: ac quibus postea laboribus, ac virtutibus tanto se honore dignum ostenderit, videamus. Prima quae illi mandata est, aegrorum cura fuit; quae quantae molis sit, considerate. Molestia enim ac periculis peregrinationem illam sanctissimam ple-

Digitized by Google

nam esse quis est qui non intelligit? Ex hisce autem facile aegrescere corpora, ac vitia capere manifestum est: ergo cum omnia adsint, hoc uno plerumque homines ab illa peregrinatione abstinent, quod certis morbis occurratur; ac difficile admodum sit tot itinerum incommoda pati, quin aliqua ex parte vita laboret, ac corrumpatur. Merito igitur eo curae clarissimorum illorum equitum conversae, ut hospitales aedes constituerentur, quibus ii colligerentur, qui aegritudinem ac morbum ex illa peregrinatione suscepissent. Huic curae sane difficillimae Iosephus praepositus: quam quanta fidelitate gesserit, testis ordinis ipsius, ac summi Magistri iudicium, a quo ad alia si minus molesta, certe difficiliora vocatus est. Aerarii illa fuit ac collatitiae illius pecuniae cura, qua piissimi socii ad itinerum ac sanctorum illorum locorum qua instaurationem qua ornamentum utebantur. Atque hic me tenere non possum, quin ad eum orationem convertam, ac sic alloquar. Eia, vir clarissime, nescis tu quanto muneri, cum hoc onus capessis, praeludis? In tua abstinentia, ac magno illo tuo animo, quo omnia ut officio pareas despicis, id consecutus es, hanc a te ut haereditario iure virtutem posteri accipiant: quare non parvi, aut unius tantum ordinis pecuniam, sed amplissimi regni censum tractabunt; in quo cum a te accepta abstinentia utantur, magnum omnibus gentibus exemplum relinquent, cui si se alii conformabunt, iàm nihil deerit, quo omnis civilis discordia exstinguatur, ac totus terrarum orbis quiescat. In te quasi ab inferis excitatum oculos Ioannes de Andrea, lux clarissima Dynastarum Aremanae, intendet: te exemplar ac magistrum habebit: te monitore ac consiliario utetur: quare cum rem neapolitanam ac siciliensem prope col-

Digitized by Google

lapsam instaurarit, tum viam aliis, qua eam et conservare, et augere oporteat, sternet.

Hac ego voce, si cum ipso loqui fas esset, uterer: verum id ille mihi responderet quod necesse est: uni se religioni ac pietati id debere; uni singulari divino beneficio tantam integritatem acceptam referre, quod ab ipso illum genere ortum ducere dederit, quod a virtute ac sapientia ut ab radice erumpens, pietate semper aĉ religione alitur ac crescit.

Et re quidem vera, extrema huius hominis officia considerate; ac quae fuerint de eo totius ordinis iudicia, perpendite. Eques enim torquatus clarissimi ordinis renunciatus, iis, qui tirocinium praeclarissimae huius militiae ponebant, magister datus est. Hic nihil dico amplius, auditores; ego enim cui contigit sacri quoque ordinis partem esse, quae sint horum instituta, qui mores didici. Cum enim eorum officia omnibus patere vidi; hoc tamen tironum educandorum paucorum esse atque egregiorum. Quis enim nescit omnem militiae, quaecumque ea sit, sive fortunam, sive decus a tirocinio pendere? Cursus quidam est ac aedificium ordinum vita; omnis autem cursus primi aditus; aedificii fundamenta salus ac incolumitas. Merito ergo eo studia omnium ordinum conversa, ut qui cursum illum arripiunt, recte incedere ac constanter primos missus facere discant. Id vero qui a legibus ac institutorum severitate sperat, is ex illis est, cui minime humani ingenii natura cognita atque explorata est. Neque opus est diutius de hoc disserere; cum omnibus exploratum sit, eam esse optimam animorum instituendorum, ac ducendorum rationem, si non tam quid agendum sit, alter aut voce doceat, aut imperio praescribat, quam quid

Digitized by Google

ipse agat ostendat. Haec illa maxima sane ac incredibilis exempli vis. Viris igitur omnibus numeris absolutis opus est, quibus haec cura mandetur. Cum igitur Iosepho commissa sit, quis dubitat quin perfectissimum ille omnium virtutum exemplar esset, ad quod clarissimi se ordinis socii componerent? Quid nunc opus est alia de eo praedicare? Aut quid ultra praedicandum superest, nisi eum ea cura occupatum, tanta ac tam ampla omnium virtutum supellectili divitem terris coelum invidisse, ac ad aeternam illam beatitatem, quam tot sibi laboribus comparaverat, vocasse? Verum terris omnino cum coelo eas mutavit, non defecit. Memoria enim ac nomen nunquam obliteranda supererant. Quomodo enim ex hominum animis excidere ille poterat, qui cum nulli hominum generi defuisset, omnium in se amorem ac studium excitavit? An putatis, cum sacri sui ordinis officia perageret, eum reliquos neglexisse? Testis patria Calacta Hieronis; testis Sicilia universa, quae cum eius conspectu saepius frueretur, propius eius virtutem ac pia studia sentire potuit. Itaque nullum genus, nullum ordinem, nullam aetatem invenies, quae cum praeclara eius in se facinora commemoraret, eius desiderio non conficeretur. Quod si gemitus ac lacrymae conticuerunt, id per unam nepotum virtutem factum; qui cum ab ipso suum animum acceperint, ita, ne eius virtutes desiderarentur, effecerunt. Et eas in posterum nunquam defuturas, facile est divinare. Verum quae haec divinatio est, aut quid iuvat quae futura sunt augurari, si iam facta perspicimus, atque admiramur? Date igitur mihi hanc veniam, auditores, ut cum haec de Iosepho de Andrea praedicarim, ad illa, quae ad suos attinent, gradum faciam; quorum

Digitized by Google

partem cum sibi Iosephus vindicet, de eo me adhuc dicere existimetis, cum quae illi gesserint commemoro.

Honori et nomini eius haec dedicata est inscriptio Melitae in templo sancti Ioannis equitum hierosolymitanorum, quorum summum magisterium adepturus esset, nisi plus modestia quam aetate iam provecta collegarum suffragia a se removisset.

D · V · T ·
FR · IOSEPHO DE ANDREA
PATRITIO CALATAHIERONENSI
PROBITATE PRVDENTIA AC HVMANITATE
PRAESTANTISSIMO
INTER PROCERES MAGNAE CRVCIS
SACRAE HIEROSOLYMITANAE MILITIAE
COOPTATO
QVI SVI ORDINIS PANORMITANA QVAESTVRA
SOLLERTER FVNCTVS
CENSVM SAXO FERRATENSEM EX MAGNI MAGISTRI
LARGITIONE ADEPTVS
ALIVMQVE IVRE SVO CONSEQVVTVS
TERTIVM BORREAE SYRACVSARVM
PROPRIIS SVMPTIBVS
AC DILIGENTIA RECVPERAVIT
AVCTIS DIVITIIS MINIME COR ADIICIENS
SIBI PARCVS VT SVAE RELIGIONIS SERVARET
NON EXIGVAS OPES EIDEM CVMVLAVIT
ADQVE PIAS OPERAS
CONSPICVO AERE LEGATO
ANNVM AGENS LXXVI · ACQVIEVIT IN PACE
VI · IDVS FEBR · ANNO R · S ·
MDCCLXX ·

Digitized by Google

DE FRANCISCO XAV. ANTONII F. DE ANDREA

EX DYNASTIS TROIANORUM.

ORATIO.

Cum in virtute multum boni sit ac ornamenti, illud certe incommodum non parvum esse deprehendimus, quod eo sit ingenio, ea natura, eo studio, ut ab omni honore ac gloria abhorreat; quare lucem ac conspectum refugiat; tenebris ac solitudine delectetur. Cum enim satis in se boni contineat qua sit beatissima, nec alio indigeat quod a rebus mutuetur, quo fruatur, facile accidit ut non modo nihil eorum quaerat, quae homines plerumque appetunt; sed saepe sponte oblatas opes ac voluptates refugiat; quod tantum sibi e sua illa domestica beatitate detractum putat, quantum ab aliis addatur. Quod quidem si ad commendationem suam atque incrementum magnam vim habet, nobis certe ac reliquis mortalibus molestissimum est ac nullo modo ferendum. Quid enim ad hominum studia

Digitized by Google

inflammanda ac recte vitae facta augenda opportunius quam eorum res gestas ac vitam celebrari quibus sancta virtus; ac nihil in omni vita expetitum, nihil actum, quam quod virtute duce ac magistra et institutum sit et perfectum? Perge; malorum fraudes ac scelera qua ratione et deteguntur facilius et severius puniuntur, quam obiecta bonorum virtute, in qua vis nescio quae pene divina inest, qua improbi ac scelesti saepe gravius opprimuntur, quam si lictor adsit ac virgam in eos adhibeat? Merito igitur id semper optatum, id curatum etiam, ut qui virtute inter homines praestiterint, non lateant; sed in lucem ac adspectum proferantur, quo cum in eos alii intueantur, et ad optima quaeque aggredienda vehementius inflammentur, et mali si qui sint erubescant ac modestius agant. Haec cum ego cogitarem in tristem sane praeteritorum temporum recordationem incidi, quae cum viris quamplurimis atque amplissimis abundarint, non par tamen eos gloria secuta est. Pauci ad modum sunt, si numeras, quorum nomen ad posteros vulgatum celebretur: ut qui ex iis tantum quae de iis recoluntur iudicare velit, in tenebris omnino has nostras regiones iacuisse dicat: ac nequaquam nos, qui extremam hanc Italiam incolimus, posse cum iis comparari, qui in superiore eius parte aut etiam extra eius fines ac trans alpes et maria vitam agunt. Id certe ex illo fonte derivatum est, quod ante dixi, quod cum hi insigni virtute praediti essent, parum solliciti quid de ipsis alii sentirent, quidque a fortuna expectare possent, id unum sanctum habuerunt, ne a sua virtute desciscerent; ac cum ea arctissime coniuncti rectum vitae cursum constanter tenerent, ac felici exitu terminarent.

Verum huic incommodo unum remedium opportunissimum hac nostra in civitate repertum. Regum nostrorum

Digitized by Google

providentia. Id enim per eos factum quod omnibus fieri gratum est, ut eo altius extollerentur, quos scirent recte informatos ac comparatos, quo demissius ipsi pro sua modestia et sentirent et agerent. Verum neque id satis esset ut omnes ex eorum virtute fructus colligerentur, si uno casu et vita et honores, quibus Princeps ornaverat, occubuissent. Hic alia addenda cura: eaque est qua usos Cicero Graecos commemorabat, quare factum erat ut tanta gloria, qui ea in regione floruissent viri illustres, fruerentur; quod scilicet litterarum ac monumentorum decus adiiceretur, quo id apud posteros consequerentur extincti, quod honoribus ac muneribus, cum in vivis agerent. Hac mihi nunc utendum existimavi, cum in quemdam eorum, qui maxime apud maiores nostros dignitate vitae ac virtute floruit, quicquid mihi litterarum est atque eloquentiae, conferendum statui. Is autem magnum illud lumen et ornamentum civitatis nostrae est Franciscus Xaverius de Andrea; quem etsi pene ex inferis excitatum ac penitus reviviscentem intuemur, cum in eius nepotes oculos intendimus, nequaquam tamen omnem eius dignitatem ac promerita assequi licet, nisi propius qui vitae eius cursus fuerit, quos honores sit consecutus, quanta dignitate ac publico bono iis usus sit, inspiciamus. Id ego nunc laboris mihi sumo: de Francisco Xaverio de Andrea tota oratio est. Illum hic exhibere instituo, ac non dubito quin optime meritus de tota hac nostra civitate videar, si virum quantum verbis assequi potero exhibeam, ex quo cum nostrorum, qui in rebus publicis versantur, studia incendantur; tum magna huic nostrae urbi atque adeo Italiae universae gloriae accessio fiat.

Fortes creari fortibus celebris est Horatiana sententia,

Digitized by Google

cui omnis aetas suffragata est: tum illud etiam ubique receptum, quod Cicero aiebat, mores locis ingenerari: ut illis liceat optimis uti, quibus contingat optimo loco nasci. Verum quotus quisque est, de quo id praedicari possit? Nonne raro fieri videmus, ut cum magna fortuna virtus coniungatur: ac honestiores sint plerique, quibus ortum urbs non clarissima dedit, quam quos principum urbium splendor ac opes coluerunt? Quid igitur? Dubitabimus an vere illi sapientes de fortibus ac nobilioribus urbibus praedicarint? Equidem ita se rem prorsus habere existimarem, si in ea quae passim fiunt intuerer: sed alia occurrunt, quae retinent ne falsos eos putem; ac illud potius mihi disquirendum iudicavi, undenam nonnunquam aliter, ac illi sapientissimi opinati sunt, eveniat. Omnia in institutis, quibus quis utatur, esse statuo: instituta autem ab eorum, qui et informant et moderantur, ingenio ac studio pendere. Magna certe in magnis opibus ad corrumpendos mores vis: magnum eorum discrimen, quibus copia adsit, qua voluptas atque otium alantur. Verum si ea sint qui possident et virtute et mente, ut eas sibi subiicere, iis moderate uti sciant, tunc illa summa gloria existit, qua carent profecto, quibus cum bonorum sit ingenium, desunt artes, quibus excolant; optime ea potiuntur qui bene nata studio ac cultura augent ac roborant. Quare eam denique summam fortunam esse statui non et nobili loco, et copiosis ex parentibus natum esse, sed inesse virtutem, ac animum quo copia ac divitiis traditaque a parentibus fortuna recte utaris. Tum illud etiam fiet ut et locus illi prosit: cum enim in utramque partem ampla urbs ac copiosa multum valeat ut animum aut splendore suo excitet aut illecebris deprimat;

Digitized by Google

qui bonis institutis utitur, id nanciscetur, ut ludum illam sibi faciat, quo multa edoceatur, ac palaestram qua sua ipsa amplitudine, ac eorum qui celebrarunt, gloria sibi proposita ad omnes illas artes exerceatur, per quas insitae a natura vires augeantur; ac si qua forte nativo vitio excidant ac labantur, reparentur studio atque exercitatione cumulentur.

Quorsus haec disputo? Ut intelligatis quid tandem Francisco Xaverio suffragatum sit, quo ad tantam gloriam eveheretur. Praeclarissimo ille e genere erat: satis est familiae nomen commemorare: qui enim de Andrea audit, clarissimum illud neapolitanae civitatis lumen, intelliget nihil huic viro, sive quod ad opes, sive quod ad gloriam pertinet, defuisse. Etenim a remotissimis temporibus celebrata domus haec insignis summum dignitatis gradum attigerat per illum Petrum Troiae Comitem, cuius res in Illyria a Gallia fortissime gestae non generis minus quam suum nomen celebrarant. Verum illud, singulari Dei beneficio, Xaverio contigit, ut eam domum nancisceretur, in qua haereditario veluti iure virtutem a maioribus traditam, quotquot illinc ortum duxerint, et custodierint caute, et novis semper incrementis auxerint. Ergo facile puero fuit ita institui ac informari ut non modo ab avita gloria non descisceret, sed quemdam veluti cumulum illi adderet.

Et re quidem vera inspicite quaeso, quae eius parentis cura fuerit, quo pueri ingenium excoleretur, atque ad omnes disciplinas, quae quidem sint homine liberali dignae, informaretur. Verum hic tenere me non possum quin ad quaedam non commemoranda modo, sed omnino deploranda excurram, quibus deformari ac penitus perdi

Digitized by Google

nobilissimam hanc nostram civitatem videmus. Eam enim opinionem ubique diffusam deprehendimus, ut studia ac litterae ad eos pertinere videantur, quibus nullae opes sint, nulla fortuna; quam qui cupiat, labore ac studio comparare debeat; contra quos genus ditarit, hi iam satis habeant, quo sint beati: quare frustra litterarum exercitatione ac severioribus institutis tererentur, si nihil inde ducere liceat, quo ad beate vivendum utantur. Ex quo fonte quae mala deriventur, necesse non est a me commemorari, cum ante omnium oculos versentur. Verum et aliud fortasse gravius incommodum occurrit, quod in eorum institutis est, quibus cum persuasum sit aliquid boni in studiis ac doctrina esse, tamen in ea sunt sententia ex multis rebus, quae disci possint, illas eligendas, quae cum propius artes quas professuri sunt attingant, maiorem frugem ac utilitates pariturae sunt. Hinc pueros videtis statim sublimioribus disciplinis addictos: ac cum vix legere ac scribere didicerint, operam Mathematico, Physico, Iurisperito dare.

Quid vitii in hoc sit, pluribus ostenderem, nisi adesset qui re magis, quam verbis refutaret. Is Antonius nostri Xaverii parens est; et antiquitate generis, et gloria maiorum, et meritis praecipue suis eques clarissimus. Intellexit vir prudentissimus proprium hominis bonum illud tantum esse quod ad animum pertinet; ac quo ea facultas qua a ceteris animantibus secernimur, excolitur atque augetur. Tum illud etiam, id per litterarum studia maxime homines adipisci: per reliquas enim exercitationes hominis doctrina augetur; per litterarum studia, homo. Ex quo illud etiam consequitur et disciplinas ipsas facilius capi, ac retineri, si per illam exercitationem humanae

facultates quae et recipere, et custodire debent, augeantur. Haec vir prudentissimus cogitabat: quamobrem eo omnes suas vires intendit, ut mature Xaverius omni humanarum litterarum disciplina informaretur.

Hic nihil dico amplius: optimi qui essent in politioribus artibus magistri, quaesiti: affatim tunc temporis Neapolis suppeditabat, qui publice eas profitebantur. Nemo Xaverio desideratus est: omnes praesto fuerunt. Itaque Martorellio ac Mazochio operam dedit, a quibus graecas ac latinas litteras acciperet: postquam ipso suo parente duce ac moderatore per optimos qui essent in vulgaribus litteris auctores volutatus est: quare Aligherii lingua ac Petrarcae, aliorumque classicorum elegantia instructus est. Verum quid boni doctores ac cauti proderunt, si desit ingenium, aut aversa natura repugnet? Quare si quid boni ex hac pii parentis cura fuit, id totum sibi Xaverius vindicat; seu potius ille omnium artifex Deus, qui ita eum finxerat, ut ad optimam humanitatem informari posset. Neque enim existimandum parum referre qua quis indole quibus moribus utatur, cum in hisce studiis, quibus humaniores litterae continentur, exercendus est atque informandus. Neque enim si videmus Graecos primum, deinde Latinos, ac denique Italos litterarum atque artium gloria reliquas gentes superare, id casu factum, aut peculiari aliqua ratione evenisse putandum est. Ingenii id totum munus est; atque ex peculiari quadam animorum constitutione derivandum censeo; qua fiat ut cum naturali quadam mollitudine rebus afficiamur; iisque facile cogitatione conformemur tum ingenii celeritate, ac copia verborum polleamus, qua cum ad cogitandum acuti ac concinni, tum ad dicendum ube-

Digitized by Google

res ac copiosi existamus. Francisco Xaverio de Andrea abunde ea omnia contigerunt. Adolescentiam enim eius qui norant, perfectissimum elegantioris humanitatis exemplum ipsi inesse testabantur. Forma erat honestissima: sed non ea molli ac muliebri, qualem plerumque nobiliorum esse videmus; sed virili ac robusta. Corpori animus conformabatur; celeri admodum ingenio utebatur; verum ea erat animi moderatio, ut nulla unquam esset evagatio, nullus error, aut dissolutio ex qua mira quaedam compositio ac quodammodo severitas existebat, quo merito gravioribus ac severioribus compararetur. Idem tamen demissione animi ac facilitate singulari, ut omnis abesset arrogantiae suspicio, ac superbiae labes. Ex quo vitae concinnitas atque elegantia pene incredibilis existebat, qua omnibus aeque et severioribus et facilioribus probaretur. His cum moribus, ac vita floreret Xaverius, quid mirum si addita cultura adeo in omni excelleret humanitate, ut perfectae eloquentiae exemplar existeret? Quocumque enim mente ac cogitatione incumberet, quicquid lingua illustrandum susciperet, et sapienter instituebat, et explicabat uberrime, et perquam illuminate exornabat.

Huius quidem rei quamvis tot testes habeam, quot causas in Neapolitano foro egit, praestat tamen unum proferre, ex quo cum copia orationi meae tum magna eius nomini gloriae accessio fiet. Advenerat enim Neapolim Ferdinandus Austriacus Insubriae Prorex, quo gravissima quaedam negotia sibi ab Imperatore mandata expediret. Huic cum omnia quae urbis huius nostrae essent vel penitissima propius videre placuisset, tandem ad forum iudiciale accessit. Nihil antea nuntiatum erat; quare imparata omnia illic erant. Convenerant iam iudices ma–

Digitized by Google

ioribus causis expediendis illic constituti, e quorum numero hic noster nuper a rege adlectus illic sedebat. En subito nuntius Insubriae Proregem magno nobiliorum comitatu adesse. Ingens statim motus secutus est; salutandus enim ille erat ac aliqua oratione tantus adventus celebrandus. Ea cura statim gravissimos patres occupavit. Eligendus erat, cui difficillimae hae partes mandarentur. Latine enim, ut mos illorum temporum erat, dicendum. Circumspiciebant qui essent ex illa corona gravissimi, si cui pares muneri vires suppeterent. Statim in Franciscum Xaverium de Andrea omnium oculi coniecti. Iunior ille erat; sed quid eloquentia valeret, iamdiu probaverat. Ille igitur excitatus est; ex tempore omnino continens oratio fundenda erat: animus ne deficeret, ingens erat periculum: quantum enim facultatis temporis angustia detrahebat, tantum formidinis viri ac eorum qui adsequebantur auctoritas iniiciebat; verum animum non despondit acerrimus ex longa exercitatione iuvenis; imparatus quamvis diceret, paratissimum tamen illum cum nativa quaedam copia, tum doctrina exquisitissima faciebat: itaque Principi occurrens omnibus astantibus ac ora tenentibus longam habuit orationem; quae quanta fuerit, statim Proregis iudicium declaravit; cum enim gravis illi de magna re controversia cum potentissimo e nostra civitate procere esset, nihil dubii habuit, quin cum actor hic constituendus esset, nostro eam Xaverio mandaret. Quod vero expectationi eius omnia responderint, testes frequentissimae ac officii plenae litterae, quas constat Proregem reducem ad eum dedisse.

Quod si cum ex tempore diceret, Xaverius tantus erat, quid cum meditate ac tempore ad cogitandum sumpto?

Digitized by Google

Desinamus igitur mirari, si tanta viri virtus diu non latuit; ac eius fama longe lateque vulgata, ad summos eum honores evectum videmus. Illud nescio quo fato fiat, ut raro tempora cum hominum studiis ac virtute congruant. Si enim rerum monumenta perlustramus, id fieri passim videmus, ut nunc tempora magnis rebus agendis opportunissima accidant, iis vero fortes, ac sapientes viri desint, per quos gerantur; nunc affatim horum sit, quos tamen silentio vitam transigere, ac una cum brevi hac et caduca vita extingui videmus; quod agendi occasio defuerit. Verum si quando haec duo concurrant ut et civium saluti fortunisque periclitantibus succurrendum sit, et fortes ac sapientes praesto sint per quos expediantur difficultates, ac via ad opes atque otium sternatur, tunc illa summa ac singularis civitatum ac regnorum fortuna existit, cuius memoria per titulos ac fastos propagata, una cum hominum aevo aeterna habetur.

Id maioribus nostris contigisse gloriari possumus. Quis enim summa cum admiratione ac studio tempora illa non commemorat, cum huius nostri regni dominationem adeptus Carolus III. pristinam illi dignitatem conspectu primum suo, sapientia deinde, ac legibus restituit? Obsoletam ac pene deperditam ille Neapolim hanc nostram offendit, quae Hispaniarum olim dominationi, dein Imperio Germaniae adiuncta regebatur per eos, qui illinc mittebantur. Ea est provinciarum conditio, ut cum per alienos regnatur, idem illis accidat ac agro, aut pecori, quod quis ab domino acceptum custodit tantum ad certum tempus ac curat; nonnisi enim in ea, quae pleno iure nostra sunt, studio nos ac cura ferimur; si quid autem alienum committitur, tantum huic amoris ac diligentiae tribuitur, quantum pro-

Digitized by Google

priis rebus, ac commodis superest. Hic nihil praeterea dicam; illud certe constat Neapoli amplius duobus saeculis ab alienis hisce rectoribus habita omnem suam formam abscessisse; ac omnino deformatam et corruptam ad interitum pene properasse. Sed extitit tandem qui repararet; hic nostri felicissimi regis atavus fuit. Itaque non sum praedicaturus quanta ille ac qua sapientia et instituit, et composuit, ut cum inveteratae eius ruinae repararentur, tum excitarentur civium ingenia, quae ex diuturna servitute consenuerant; atque ad ea aggredienda erigerentur per quae fieret, ut non modo reliquae Italiae haec regio gloriam ac opes aequaret; sed superaret omnino ac obscuraret. Itaque cum clarissimus ille Princeps ad Hispaniam profecturus, quo vastissimi illius tunc temporis regni moderamina acciperet, filium Ferdinandum puerum omnino reliquit, qui pleno iure haec nostra possideret, hic non sapientiae minus, quam fortunae paternae haeres statim operi manum admovit, ut quae instituerat tantum parens, perficeret ac cumularet. Sed viris operi instaurando aptis indigebat: opus autem gravissimum: iure igitur prudentissimus iuvenis cum in consilium gravissimos qui tunc essent viros haberet, circumspicere coepit, qui hic suppeterent viri, quibus ad ea quae perficienda erant consiliariis ac administris uteretur. Statim Franciscus Xaverius de Andrea occurrit; nec in eum casu incidit; verum obvium habuit; obvium autem ipsi non gratia aut malae artes, verum pulcherrima, quae de eo erat, fama fecit.

Quis hic numeret quae et quanta ei commisit? Aut me vox non deficeret, si percensere tantum velim gravissima munia, quibus praepositus fuit? Quid enim commemorem prius, quid posterius? Domum ne proiectis quos

aiunt recipiendis sub Mariae Virginis ab Angelo salutatae nomine patefactam, quam curavit, an divi Eligii Argentariam Mensam, cui custodiendae magister datus? Procerum Senatum qui Regi a consiliis sunt, cui adlectus fuit, an Divi Ivonis sodalitium, alterumque equitum clarissimorum a Misericordiae operibus nuncupatum, quibus maxima sedulitate et abstinentia praefuit? Summi illius Fori gravioribus causis definiendis conlegium, cuius non pars modo, sed omnino lumen ac ornamentum fuit, an publicum aerarium, quod socius eorum, quibus illius administrandi cura committitur, custodivit? Illa facere non possum quin pluribus enarrem, quae in Sicilia gessit, ubi gens eius olim domicilium habuerat apud Calatahieronenses, et quavis honorum, publicorumque munerum ratione sese maximopere illustrarat, quemadmodum in vita Iosephi de Andrea, Equitis torquati Ordinis Hierosolymitani edisseritur. Singulare certe illud Regum nostrorum munus est ac decus, ut illius Insulae cum civili dominatione potiantur, potestate etiam qua sacris aliqua ratione praesint polleant: id quippe est quod petito ab illorum temporum moribus nomine dicitur. Illis qui id temporis eo mittebantur, quo Regis nomine praeclarissimum hoc munus exercerent, totius Insulae Regimen mandabatur; ut revera Regni species illa esset, praeterquam quod Principi, qui Neapoli imperabat, subiiciebatur. Itaque Monarchiam in Sicilia agere, idem erat ac Proregis obire munia. Huic praeclarissimi qui essent, socii atque administri adiungebantur. His ille utebatur quo ea ratione res Siciliae expediret, qua passim hoc nostro in regno Reges uti videmus. Maxima publicorum negotiorum pars nostro Xaverio credita; itaque mercibus commutandis, agriculturae exercendae, ar-

Digitized by Google

tibus et quod caput est studiis ac ludis litterariis ipse praepositus. Quas vero utilitates Insulae toti attulerit, intelliget qui qua deinde conditione gens illa fuerit cum expertus sit, cum his, quae antea illic fiebant compararit. Misera certe erat Insulae illius conditio; quae eo acrius nos commovere debet, cum consideramus quae illa a remotissimis temporibus fuerit; quantaque gloria ac quantis opibus floruerit. Agris uberrimis praeditis, portubus abundantibus, omni rerum copia insulanis illis scatere facile est, sive domi agris colendis, sive foris commerciis exercendis vacent. Quare uno illis opus est, animo scilicet acri ac viribus ad labores comparatis. Id illis a natura est; quale enim ipsis ingenium acutum ac perspicax esse, veteribus visum est, tale nunc et retinere, et in promptu habere compertum est. Quamobrem satis est iis moderari, ac sapienter regere, quo multa commoda cum ipsi tum universa haec nostra publica res consequatur. Id illis antea defuerat; addidit Xaverius noster. Illum enim dignitatis gradum adeptus, acute scrutari coepit, ac magno studio explorare, quae singulae civitatum illarum partes laborarent; ac qua ratione instaurari ac renovari possent. Agricolis animum advertit, ac multa praeclarissima scripsit, qua optimas agrorum colendorum rationes praescribebat; exportandis ac importandis mercibus consulens omnem annonae difficultatem avertit; ac omnium rerum copiam urbibus non exhibuit modo, sed omnino ornavit. Sed studiorum suorum partem sane non minimam illud sibi vindicavit, quod pluris faciebat, litterae scilicet ac ludi disciplinis tradendis comparati. Occurrebant viro eruditissimo quotidie pene ex inferis excitati magni illi veteres ex ea insula doctissimi Archimedes, Em-

Digitized by Google

pedocles, Theocriti, Gorgiae, quos familiarissimos habuerat; ac dies noctesque excitabant, ne nepotum gloriam deperire pateretur. Hos ille veluti in consilium habens ea instituit, per quae totius Insulae studia instaurarentur. De quo quidem quid opus est a me pluribus dici? Vos vos testes in primis appello Catanenses; exhibete, exhibete quaeso, aureum illud numisma, in quo Agatae vestrae laudes cum Xaverii nostri honoribus coniunctas voluistis; illud enim ita divisistis ut cum unam faciem praeclarissima illa virgo, cuius praesidio vestram vos incolumitatem debere testabamini, haberet, alteram Xaverius de Andrea, cui studiorum decus ac vitae ornamentum referebatis acceptum, occuparet.

Quid si nunc ad reliqua me referrem, ac de singulis dicere vellem? Verum alia me longe graviora vocant, in quibus si minus lucis est, frugis certe ac emolumenti quamplurimum. Haec enim quae commemoravi tam illustria ac opportuna quomodo tantis curis occupatus, ac abstractus, agere Xaverius poterat? Id cum mihi libet ante omnia quaerere; tum aliis quam maxime opportunum est commemorare. Exanimor enim, ac penitus deficio, cum in quaedam sane foeda, atque absurda, quae nonnunquam in civitatibus fieri video, cogitatione incido. Multos enim esse animadverto, quos ambitio tenet, atque ad publica munia capessenda impellit. Hos vero si attente quae latent inspicitis, ac quid spectent, quo tendant, cui studeant si caute scrutamini, unum omnibus studium esse deprehendis, unum morem: praecellere ac ditari. Non Regi sapientissimo suorum saluti ac incolumitati consulenti adesse; non publicae rei, seu laboranti praesidium, seu valenti incrementum afferre; non malis nocendi vim auferre; bonis

Digitized by Google

defensionem ac praesidium praebere; verum domesticas opes augere; suis amplam haereditatem ac honoris insignia transmittere. Age id unde fit, aut ex quo fonte tanta pestis dimanat? Uni ego tribuendum existimo, animo humili, atque angusto, qui cum publicorum munerum nec magnitudinem capere, nec splendorem sustinere possit, ad illa vilia, atque abiecta se demittit, quae solum sapit, quibus unice delectatur.

Horum foedissimorum hominum corruptelam, vos clarissima civitatis huius lumina quibuscum suas curas augustus noster Princeps communicat, sapientia ac virtute deletis. Verum illud vos ne praetereat neque confiteri pudeat, hanc vos moderationem ac sapientiam illis debere, qui cum idem curriculum emensi essent, vobis veluti haereditario iure cum lampade suam rationem tradiderunt. Ex hisce autem Xaverium nostrum esse qui primas tulérit quis inficias ibit? Non enim ad rempublicam nisi omni sublimiorum disciplinarum copia instructus accessit. Ex quo quantum boni in universam rempublicam redundarit, si parum attenditis, paucis docebo. Ordines sunt in civitatibus plures constituti; honorum gradus pro rerum varietate distincti: officia pro malorum ac periculorum numero dispertita; verum haec cuiusdam veluti corporis membra sunt, atque artus; ex quibus cum recte composita sunt atque compacta, integra existit veluti persona, quae variarum aetatum ac conditionis cives complectitur, ac continet. Verum anima huic deest: anima Principis sapientia ac sollicitudo est. Haec quemadmodum summa illa anima, cui mundum hunc subesse, ac regi Plato commentus est, per omnes civitatis artus infusa, toto se corpore miscet, quo alat, agitet ac moderetur. Animae huius si

pars desit, aut suam vim omnem non exserat aut lentius agat, omnia statim collabi, ac aegrotare vides. Id ne fiat, prudentissimi qui sunt Principes viros sapientia rerumque usu praeditos arcessunt, quos suae veluti animae partem esse volunt, per quos suas curas civitatibus quibus providendum est, dividant ac propagent. Haec qui intelligit, noverit profecto quantae molis sit publicum munus capessere; ac quid negotii illi detur, cui publicae res gerendae mandantur.

Verum id cui licet? Illi scilicet, qui cum acri ingenio polleat, illud optimis disciplinis ac doctrina excoluerit. Haec Xaverio nostro contigerant. A tribus iurisprudentiae ac philosophiae luminibus, Iosepho Aurelio de Ianuario, Iosepho Cirillo, ac Antonio Genovensi, iuris ac oeconomicarum rerum scientiam acceperat: magna item cum duobus illis praeclarissimis viris Filangerio ac Galiano consuetudo erat. Quid mirum si tam alte de rebus publicis sentire, ac eas tanto cum publico commodo gerere noverit? Nihil enim ad inanem gloriam; nihil ad opes comparandas; nihil ad voluptatem referebat; sed uni tantum cogitatione haerebat; in unum omni studio incumbebat; unum dies noctesque urgebat, qua ratione id adsequi posset, cui munus omne publicum ac honor servire debet, ne scilicet aliquid detrimenti respublica capiat, ac cives incolumitatem ac otium nanciscantur.

Verum ab assiduo hoc et pulcherrimo viri studio accessio nescio an detrimentum publico bono factum sit. Ex tantorum enim laborum mole quomodo non labascere ac corrumpi potuisset vita tantis iam et itineribus et curis attenuata, atque afflicta? Ergo brevi ad interitum properare Xaverius visus est. O factum hominis vere aeterno

Digitized by Google

luctu ac lacrymis prosequendum! Quantum enim detrimenti hinc publica salus ceperit, ex hoc intelligi potest, quod animo iam suo Rex destinaverat eum ad summa munera evehere; ac sibi administrum in rerum procuratione adiungere. Quod si tantus fuerat in minoribus muneribus Franciscus Xaverius de Andrea, qualem eum futurum fuisse existimamus, si ad supremas illas administrationes capessendas vita suppetisset?

Verum ne omnino nostris rebus deesset, ac haberemus quo eius desiderio non conficeremur, ipse effecit profecto, ut suae sapientiae haeredem ac virtutis filium relinqueret. Unum ab uxore matronarum honestissima suscepit. Huic quantus esset ac quicquid valeret, quin alii sibi partem vindicarent, communicavit. Ioannes de Andrea, te ego specto, te appello: tu ne ex tanto ac tam illustri parente es? Id ne tibi sors dederat, ut a Francisco Xaverio de Andrea cum genus, tum animi virtutes ac sapientiam duceres? Quid igitur tibi deesse poterat, quo ad summum dignitatis gradum extollereris? Verum hic quid ego mirer, cui gratuler, tibi ne cui tam illustris parens contigerit, an neapolitanae reipublicae, quam tibi augustus Princeps noster mandavit? Quando enim temporum illorum memoria extinguetur, cum publico aerario administrando praepositus, tanta fuisti et abstinentia, et sollicitudine, ut cum nihil unquam ei detraxeris, quod tibi vindicares, sed magnis accessionibus auxeris, effecisti, ut quem collapsum ac pene perditum nactus eras, ditissimum atque ad omnia commoda paratissimum relinqueres? Quis de te conticescat? aut quis te vivum non cupiat? aut si te vivo iterum frui non licet, quis non optet tuam memoriam reviviscere, ac renovari quotidie,

Digitized by Google

quo habeant qui munus idem obeunt, quem sibi exemplum constituant, quo publica nostra res iisdem utilitatibus potiatur?

Verum quorsum huc abii cogitatione, et me quodam veluti aestu orationis agi passus sum? Ut scilicet intelligatur quantus et quam praeclarus Franciscus Xaverius fuerit, si tantus ac tam illustris vir ex illo floruerit. Quod enim illustrius monumentum posteris relinquere potuerit, quam natum, qui suum parentem penitus referret? Aut si cui id continget, quis queri possit quod ipse fato concesserit? Verum alia Xaverio gloria contigit, qua nescio an alius mortalium potiatur. Brevis enim plerumque est propaginum cursus; ac raro in stirpes, quae remotiores a radice sunt, avorum virtutes redundare videmus. Quare beatissimi, quibus similes nati contigerint; quid similibus nepotibus gloriari possit, pene nemo adhuc repertus. Id vero si ad reliquam Francisci Xaverii de Andrea fortunam accesserit, a me expectatis ut doceamini? Nonne testem luculentissimum illum praeclarissimum Ecclesiae Principem habemus, qui cum generis dignitatem, tum totius Neapolitani Regni decus ac gloriam tuetur?

Te, Hieronyme de Andrea, extrema hac oratione appellare libet. Tibi praeclarissimi huius avi tui gloria, quam scio tibi esse carissimam, commissa. Per te fieri potest, ne illa luce, illa iucunditate, illa omnino fortuna careamus. Si magnus ille animus tibi est, quo tanta ac tam praeclara in sacra republica gessisti; si vastum atque acerrimum ingenium, quo gravissimas disciplinas et mente complecti, et aliis tradere potuisti; si pietas, ac animi compositio singularis, qua omnibus, ad quos accessisti, te probasti, omnes tibi conciliasti, totum id muneris huius

Digitized by Google

tui avi est. Ergo et a te merito ille id requirit, ne eius memoriam extingui patiaris; quod profecto eveniet, si eius vestigiis magis magisque inhaerens, quicquid es ac vales, publicae incolumitati, ac omnium bonarum artium, et virtutum incremento valeas.

Honori et nomini eius haec dedicata est inscriptio Neapoli in sacello familiae suae ad sancti Laurentii aedes maiores.

AD IMMORTALITATEM MEMORIAE
FRANCISCI XAVERI DE ANDREA
ANTONI EX DYNASTIS AREMANENSIVM EDITI
ET SENATORIS PARTIVM OPTIMARVM F.
HIC IVRIS CONSVLTORVM SVI TEMPORIS ELOQVENTISSIMVS
ET EGREGIAE LIBERALITATIS ET IMMOBILIS CONSTANTIAE
PVBLICA COMMENDATIONE INSIGNIS
IVSTITIAM AB INIVRIIS INNOCENTIAM AB CALVMNIIS
VERITATEM A FRAVDIBVS
INGENIO ACERRIMO FLORENTISSIMA FORTVNA
VINDICAVIT DEFENDIT CVSTODIVIT
IDEM PRAEFECTVS PRIMVM LITIBVS IVDICANDIS
DEIN SENTENTIIS IVDICVM EXPENDENDIS
IN CONSILIO SACRO ET REGIO
MOX SICILIAE VNIVERSAE ADMINISTRANDAE
TANDEM AERARIO REGVNDO
TEMPERANTIAE LAVDE RELIGIONIS FAMA
DIFFICILLIMAM MERITORVM AEMVLATIONEM
POSTERIS RELIQVIT
DECESSIT VI. IDVS DECEMBR. AN. M.DCC.XCVIII.
QVVM VIXISSET ANNOS LXIV.
PATRI OPTIMO VIRO CLARISSIMO
IOANNES MONVMENTVM PIETATIS
EXCITAVIT DICAVITQVE
AN. M.DCCC.
VT ETIAM E TVMVLO
CIVILIS SAPIENTIAE LVMEN ELVCEAT

Digitized by Google

DE IOANNE FRANCISCI XAV. F. DE ANDREA

AREMANENS. MARCII.

ORATIO.

Quum verum sit magis exempla, quam praecepta docere, id me facillime consecuturum putavi, si Ioannem de Andrea hac veluti tabula expressum posteritati mandarem. Ea enim fuisse vita, iis moribus, ea virtute constat, ut qui in eum oculos intendit, perfectissimum omnium officiorum exemplar intueatur. Adeste igitur animis, auditores; ac consuetae illius vestrae benevolentiae plusculum mihi nunc impertiatis; si ea audituri eritis, quae cum ad clarissimi viri immortalitatem, tum ad omnium virtutum commendationem, ac bonorum praesidium plurimum valebunt. Ita enim eum conspiciendum exhibeo, ut videatur quibus artibus liceat cum vitam honeste agere, tum ea in rempublicam conferre, per quae augeri ac ornari possit. Ea autem una res est ac exquisitissima, ut recte

Digitized by Google

agendi vis cum recte cogitandi facultate coniungatur; ut animus recte intelligens, sancta cum actione societate coniunctus, in commune bonum pulcherrime conspirent. Is Ioannes fuit: hac virtute, his moribus instructus cum ad publicam nostram rem accessisset, tanta ei commoda peperit, ut cum his adhuc frui non liceat, in eorum tamen memoria penitus conquiescamus.

Eam enim opinionem ubique diffusam videmus, duo veluti hominum genera existere, quorum alii ad cogitandum nati, otio ac secessu delectentur: aliis ad agendum a natura comparatis, liberius vitae genus ac spatia, quibus grassentur, optatissima: illos res domesticas ac privata negotia optime sibi vindicare; imo publicis muneribus recte nuntium mittere; et si quid negotii ipsis concedendum sit, id doctrinae tantum esse, ac ludorum literariorum, ut studiis ac literarum exercitationibus intenti, lingua tantum inter eos, qui discere cupiant, utantur, quo civitatis eruditio, ac cultura augeatur: alios autem esse quibus singulare sit ingenium, ac agendi facultas, quibus cum animi ac corporis viribus pollentibus otium ac quies sit infestissima, vi sua quadam ingenita ac nativa in ea feruntur, per quae res agendae et instituuntur facilius, et commodius expediuntur. Hinc dissidium, ut Cicero appellat, mentis ac manus extitisse videmus, quod a Socrate veluti a fonte quodam ac capite manasse, eodem teste didicimus. Verum id neque antea obtinuisse ab eodem accepimus: sequioribus vero temporibus magno cum civitatum detrimento factum novimus. Quare idem ipse ad pristinam illam vetustiorum Graecorum, propositis summis illis viris, per quos Greciae res et aucta et illustrata est, exemplis, revocare suos

Digitized by Google

conatur; et prudentissimi qui deinde rerum potiti sunt, id impense studuerunt, ut dissidium illud sane fatale tolleretur; ac cogitatio, cum actione conciliata, aptos homines, per quos res publicae gererentur, civitatibus praepararent.

Verum quotus quisque est, de quo id praedicari possit? Plures profecto commemorare Reges possumus, ac rerum publicarum rectores, quibus id in votis fuerit; non paucos etiam qui omni studio in id incubuerunt; verum paucos admodum, quibus hae curae prospere cesserint, ac viros nacti sint, in quibus mentis excelsae ac exercitatae, cum animo ad agendum comparato, consociata facultas inveniretur. Magna nimirum haec res est; ac tantis difficultatibus plena, ut nisi qui singulari id beneficio a natura acceperit, frustra speret studio ac labore comparare. Duo enim quasi pugnantia coniungenda, patientia ac mora, qua omnino opus est, ut quis meditando ac commentando assurgat quodammodo, ac in rerum penitiores recessus irrumpat, eosque rimetur ac perspiciat: motu vero ac ardore quo aliqua ratione erumpat; ac per res agendas atque hominum coetus versetur, eosque agitet, ac moderetur: quod cum sine magna celeritate ac impetu plerumque non fiat, iis profecto licet, quibus et vires sint, et calor, quo non haereant impediti, cum in aliqua duriora atque acerbiora incidunt; sed frangant vi, sibique domita penitus ac debilitata subiiciant.

Haec cum ego cogitarem, non potui quin singulari ingenio ac prope divina virtute praeditum Ioannem de Andrea existimarem, cum tam arcto vinculo haec sine dubio dissimillima coniuncta viderem, ut difficile omnino mihi fuerit iudicare, quibus accensendus esset, iis ne quibus prae-

Digitized by Google

cipua laus cogitandi, ac cognoscendarum rerum contigit; an his quorum in agendo vis ac dexteritas praedicatur. Verum cum ad ea, quae postea egit, cogitatione progressus sum, eum ex illis sane rarissimis fuisse intellexi, in quibus cum utraque vis excelleret et utrumque studium, convalescere natura visa est, ac res communis penitus recreari.

Vix e pueris excesserat; adolescentia nondum exacta parente orbatus est: illo praeclarissimo aetatis periculosissimae custode ac duce, quo eo molestius erat carere, quo vehementius ad hoc vitae genus, quod studiis ac litterarum exercitatione continetur, appositis veluti çalcaribus, incitandus erat, atque arrigendus. Quid durius Ioanni accidere poterat, quam libertatem ea aetate hisce in regionibus, illis omnino temporibus adipisci? Huc mentem advertite, auditores; ac quanta vis in hoc sit, considerate. Exquisitissimo illum ingenio; atque animo ad omnia litterarum genera comparanda, qualem a parente ut nobilissimo ita doctissimo acceperat, aptissimo praeditum fuisse, ea testantur, quae postea effecit. Cum ingenio autem celerrimo ac exquisito, quis nescit, raro virtutem coniungi? Ea enim est omnium philosophorum sententia, ingenium membris affixum ab illis vim plerumque capere; neque enim si natura dissimiles hae res, inter se pugnare credendum: sed ita a natura constituti sumus, ut magna sit inter eas coniunctio; ut illis liceat bono ingenio uti, quibus teneritudo quaedam membrorum insit ac quodammodo mollitudo insita a natura contigerit: quo enim vehementius a rebus quibus utimur, afficimur, eo celerius assurgimus, ac in res quae cognoscendae sunt, ac explicandae, irrumpimus. Contra quibus membrorum

Digitized by Google

durities insit ac quaedam humorum ac sanguinis frigiditas, hos haerere vides, ac cessare; ac nisi magna vi stimules ac incites, nihil unquam in rerum cognitione tentabunt. Verum quanta in mollitudine illa pericula sint quis ignorat? Cum enim rebus afficiamur, qui fieri potest quin illis adhaereamus, ac cum ipsis omnino conglutinemur? Licuerit illis resistere ac se illis expedire qui sub immiti coelo nati ac aspera in regione constituti, duram ac molestiis plenam vitam agunt, quibus modo cum immodicis frigoribus, modo cum iniquis caloribus pugnandum: aut si cui etiam mitius coelum natura largita sit, si humili loco nato vix suppetat quo vitam alant, quae sit labore ac arte sustentanda; verum quis dicit, id nobili adolescenti licere, cui contigerit Neapolitano hoc coelo inter rerum omnium copiam frui? Cum enim ad illecebras omnis adolescens aetas prona sit: huic autem coelo singularis quaedam vis libidini irritandae ac animis vellicandis insit, mirari desinamus quod continentes adolescentes, ac sibi temperantes raro admodum videamus. Quid enim hic sive ad voluptatem, sive ad otium, sive ad animi remissionem ac evagationem deest? Cum naturae ubertas omnino singularis omnium rerum copiam suppeditat; tum ars accedit ac studium, qua haec ipsa expolita atque aucta, ad hominum voluptatem paratissima ita alliciat ac permulceat, ut nisi qui magna vi retineatur, fieri omnino non potest, ut illis se illecebris expediat; ac quo honestius virtutis consilium vocet, libere contendere.

Haec inter constitutus Ioannes de Andrea cum nullo fraeno, nulla lege, nulla ratione coerceretur; liber omnino ac sui iuris esset, quid dubii esse poterat, quin parentis metu

Digitized by Google

solutus domesticis opibus affluentibus, sponte oblatam omnis voluptatis copiam amplecteretur? Attamen videte adolescentis studium: sponte Neapoli excedit; neque id quo iter aliquod iniret, aut longam peregrinationem, qua ut mos multorum est, celeberrimas orbis civitates adiret, ubi novis voluptatibus potiretur; sed Surrentinum sinum petiit, quo in avita villula uno aut altero ex domestica familia sane frequentissima famulo socio, diu moraretur. Quid hic commemorem, sociorum an nobilium adolescentium dolorem, an parentis amantissimae lacrymas? Lectissimae matronae in coniugis carissimi obitu hoc unum luctus remedium supererat, Ioannis, quem unum ex suo connubio susceperat, conspectus. Illo frui; in illo conquiescere; in eius colloquio ac consuetudine mariti desiderium ac viduitatis suae squallorem consolari se posse merito laetabatur: illo erepto, illo absente, quae reliqua erat ipsi consolatio? Nonne in tenebris ac squallore ipsi iacere necesse erat? Quomodo igitur, cum nato non queri, non increpare etiam, ac obiurgare deberet, quod eum videret, animo tam obfirmato ipsi valedicere? Neapoli veluti exulem excedere; ac vitae genus sequi, quo corrumpi, ac perdi tam illustris adolescentia videtur? Id enim merito sapientissimam foeminam angebat, ne illa solitudine ac silentio duraretur elegantissimus ex avita nobilitate animus; ac Ioannes principis huius civitatis luce, ac nobiliorum consuetudine carens, sensim in duros illos ac pene ferinos, quales plerumque rusticorum mores, abiret.

Verum longe aliter ac ipsa opinata fuerat, accidit: Ioanni enim solitudo, non otium quaesitum: solitudo autem ipsi optata quo tutius ac facilius eo, quo excelso suo

Digitized by Google

animo ferebatur, contenderet. Non enim solus omnino secessum illum petierat; verum secum multos amicos duxerat; ii vero erant quorum consuetudine ut maxime fruebatur, ita magnum ex illa doctrinae ac omnium virtutum incrementum ipsi fieret: cubiculum magna librorum copia ornatum: ii vero non erant quibus inertis vitae molestias averteret; quos a venatione aut equitatione, aut alio aliquo ludo rediens per otium legeret: verum lectissimi qui essent in omni litterarum ac graviorum scientiarum genere: praeter enim latinos, ac graecos, quos familiarissimos habebat, recentissima immortalis Vici opera secum attulerat: ut cum quae de omni philosophia ac iuris scientia edita erant, iam sub parentis, ac optimorum doctorum disciplina perlustrasset, huic novo fonti ora admoveret, quo ad penitissima illa penetraret, quae a summo illo ingenio excogitata ac inventa incredibilem in omni Europa motum excitarant.

Age, solertissime iuvenis, modum aliquando isti tuae severitati pone; satis iam ingenio datum: memineris te genus Francisci Xaverii de Andrea esse; atque ab illo Petro, Troiae Comite originem ducere, cuius memoria si alios excitat, ne otio quamvis honestissimo vitam terant, acutissimos tibi stimulos subiicere debet, ne diutius publica negotia ac patriae pericula te carere patiaris. Memineris non tibi te solum natum; si tantum tibi natura ingenium largita est; si eam tibi mentem Deus dedit, ne Neapolitano otio ac illecebris illud perderes, verum per studia ac litterarias exercitationes excoleres atque augeres, nullo modo tibi licere existimes diutius tui desiderio nostram hanc rempublicam confici atque externari. Non vides quantae sunt eius partes, quae concussae ac labantes

Digitized by Google

sustinendae sunt, ne penitus ruant? Rabulis ne iura ac rerum controversiae committendae? Honores ac officia veteratoribus ac callidis circulatoribus mandanda? Religioni cui tam pie te devovisti, atque obsequeris, periculosissima bella instare non sentis? Huius defensioni nescis te a coelo destinatum? Aut quis hanc suscipiet, si illi desint quibus cum eius studium est vehementissimum, tum et animus, et ingenium quo illis obsistere possint, qui eo facilius de ea triumphare posse credunt, quod pauci admodum sunt, qui superbissimas novorum sophistarum cavillationes detexere atque enodare sciant? Erumpe igitur: quieti huic tuae eodem illo animo, quo urbis maxime illecebrosae insidias despexisti, nuntium remitte: descende tandem in arenam: ac pro certo habeas magnas hic tibi coronas paratas, si longa ista exercitatione tanto in ludo non viribus, ut in sagina, augendis, sed menti roborandae studuisti.

Haec solertissimo iuveni non ab amico aliquo aut hortatore, verum ab ipsa sua virtute tacite proposita obstrepebant; haec dies noctesque animo suo obversantia quiescere non sinebant: vicerunt tandem suam perseverantiam; ac e Surrentino recessu Neapolim reduxerunt. Iam non adolescentem, sed confirmata aetate virum Neapolitanum forum excepit: virum autem non longa annorum series; verum studia ac literariae exercitationes fecerant. Itaque cum causas agere coepisset, diu eo in munere consistere passi non sunt; humilem illam tanto athletae stationem esse omnium sapientiorum iudicia declararunt: ad maiora eum iam paratissimum: ergo cum Rex Ferdinandus, Caroli III filius, iudicum collegio, qui in Neapolitano foro Magna Vicariae Curia vocitabatur, illico adscripsit.

Digitized by Google

Hic expectare videmini ut vobis enarrem, qua aequitate ius dixerit; qua sapientia lites et cognoverit, et diremerit: verum vulgaris omnino est haec laudatio; atque haec illis commemoranda relinquo, quibus alia non suppetunt quae praedicentur ac posteritati tradantur. Alia longe maiora mihi occurrunt; in quibus illud tantum incommodum esse video, quod par haec mea oratio esse non possit. Haec enim nostra dicendi facultas in iis tantum virtutibus exornandis vim habet, quibus praediti qui sunt, communibus officiis non desunt. Verum si quid occurrit, in quo quis praeter consuetudinem aliquid ab humanis moribus prorsus alienum ac pene incredibile et tentarit et effecerit, qua id ratione illustrare poterit qui non nisi hac sive civili, sive forensi oratione uti novit? Eo me adductum video, ubi si non summum dignitatis gradum attigit, virtutis certe specimen ac integritatis iudicium adeo illustre edidit, ut eam gloriam consecutus sit, quae iis contigit, qui cum officii propugnatores essent acerrimi, eam fortunam subierunt, quae cum magnum omnibus bonis luctum attulit, aeternum ipsis decus peperit. Agitur enim de honore; agitur de vitae commodis; de vita omnino ac capite agitur. Quae enim nostra hac in regione facta sunt, cum irrumpentibus huc subito impetu armatis Gallis piissimus noster Princeps excedere Neapoli coactus est, malo a monumentis, quae horum plena sunt, quam ab hac mea oratione accipiatis. Quae tunc bonis concertatio, quae sollicitudo, quae omnino desperatio iniecta fuerit, nemo est eorum qui videre potuerunt, qui magno cum animi dolore ac luctu non commemorat. Ancipiti tunc consilio sapientissimi qui essent, premebantur; excederentne Neapoli, ac ultro

Digitized by Google

profugi Regis fortunam sequerentur; an hic victorum fortunae se dederent, ac quiescerent: hoc periculis ac molestiis plenum. Verum plerisque ea potior visa ratio ut tempori cederent. Victoribus sua ipsa fortuna quiescere ac stare non concedebat; ac cum citatissimo impetu ad maiora semper contenderent, omnia secum in praeceps trahebant. Ergo quo firmam ac tutam suam dominationem facerent iureiurando, ut mos est, hanc sibi gentem obstringere statuerunt. Ad hoc illi in primis adigebantur, quibus cum publicum aliquod munus gereretur, maior cum ipsis necessitudo intercedebat. Ioanni iam sua dignitas ab ipsis confirmata. Ergo et dies illi dictus quo iuraret. Hoc vadum, hic scopulus; in quo quem dicam offendisse Ioannemne, an victorem? Animum advertite auditores, ac nobilissimi militis non horum vulgarium castrorum, ubi gregarii ac e vulgo collecti bellatores stipendia faciunt; sed praeclarissimorum illorum, ubi fortissimi illi Reguli, Socrates, ne dicam Stephani ac Laurentii praeliantur, certamen considerate. Leges nuperrime a Gallis latae iurandae. Inter hasce autem illa etiam erat, qua omnibus nuptis se invicem, cum libuerit, dimittendi potestas fiebat. Hic haesit Ioannes; hic cohorruit omnino, ac pene exanimatus est. Nec dubium, cum se recepit, illi fuit quid ageret; sed obfirmato animo, ac constanti vultu victori restitit. Instabat hic; ac eo vehementius urgebat, quod videbat quanti futurum fuisset Ioannis de Andrea iudicium: pollicitationibus etiam ac blanditiis illum pellicere conabatur: verum nulla nec vi, nec gratia vir fortissimus vinci potuit, quo tantum nefas committeret. Ergo exauctoratus est. O non hominum cultiorum „ quales vobis videmini, progenies, sed e barbarie colluvies, han-

Digitized by Google

cine vos virtutem, hancine fortunam, hancine gloriam putatis? Hac mente, hoc animo omnibus vos gentibus dominari gloriamini? At ipsa vos conscientia, ipse pudor non monet vos omnium gentium victores nunc penitus domitos ac fractos unius viri potestati penitus succumbere? An illa vobis victoria videtur quod eum honore spoliastis? Quid illi vos eripuistis? Quod ipse iam excelso suo animo in minimis ponebat: at vos non respicitis; ac quanti vobis vanissima haec victoria stabit, non consideratis?

Et re quidem vera in magna illa regum omnium ac gentium trepidatione, cum omnes ambigerent, quibus se darent, quorum partibus studerent, recentiorum ne victorum, an eorum quibus antea paruerant; tandem statuerunt tempori cedere; ac illis se subiicere, quibus armorum fortuna velificabatur. Verum ea semper conditione ut integra esset ac intacta religio. Neque enim si corrupti ubique mores ac vitae ratio remissa, religioni minus nostros homines obsequentes esse putandum. Imo eo vehementius in eam hominum plerumque studium, quo se longius ab officio ac virtute recessisse sentiunt; quod in ea tantum, in morum naufragio ac vitae discrimine, praesidium sibi esse putant. Ergo cum demississime Gallos venerarentur, ac humanissime etiam pleraeque civitates exciperent atque amplecterentur, ipsis tamen nutu, ipso ac oculorum coniectu significabant, ne quid in religione immutarent. Id cum ipsi sentirent, eam rationem sequuti sunt, ut sartam tectamque populorum religionem praestarent. Honor illi habitus; atque ad eius rationem quamplurima composita. Id populis imposuerat; quare cum ad reliqua quae erant certe in eorum gestis praeclara, hoc

Digitized by Google

etiam religionis ornamentum accessisset, nihil abesse videbatur, quo omnia penitus sibi subiicerent. Huic igitur non sincero, sed fucato religionis studio tota Gallorum fortuna innitebatur: quamobrem hoc fundamento concusso, omnia, quae superstruxerant, collabi ac corruere necesse erat. Huc enim omnium oculi spectabant; id attendebant, si quid in religione Galli mutarent. Verum id quomodo fieri poterat? O misera temporum conditio! Pudet commemorare, auditores. Verum quis horum, utcumque a me praetereantur, cum lacrymis non reminiscitur? Verum in summa fortuna maximum discrimen non concussit modo, sed omnino deiecit fortissima Ioannis de Andrea religio. Quis enim commemorare posset, quae tum animorum trepidatio fuerit, quae omnium ordinum commotio, quae ubique iudicia atque admiratio? Iam populus monebatur aliquid vitii in legibus illis esse; non omnino integram ac puram illam esse religionem, quam ostentabant; cavendum a legibus, in quibus aliquid veneni lateret: ergo immutati animi; conversa studia.

Quaerat nunc a me qui vult, quae fuerit deinde Ioannis vitae ratio, quid egerit, quid cogitarit, cum omni honore privatus, de victoribus malemeritus, eorum potentiae omnino permissus, nullis opibus, modicis divitiis utens, in domo sua omni pubblica gratia destitutus sedebat. Haec animo suo obversabantur: haec ille non meditabatur modo, sed omnino oculis subiecta videbat; ac cum sibi de tanta sua virtute gratularetur, illa voluptate fruebatur, quam omnem sensum superare Paulus praedicabat.

Verum diu illa frui non licuit: quamvis ea non erepta, sed cum alia commutata: sed verbo, quo decuit, non sum

Digitized by Google

usus; non enim commutatio; sed omnino accessio fuit, ac incrementum. Quid enim iucundius sapientissimo viro accidere potuit, quam videre superbissimos victores suae illius audaciae ac inhumanitatis poenas dare, cum fracti adverso Marte ac penitus debellati, omnia quae vi occupaverant dimittere, ac in suas se sedes recipere coacti sunt? Quid optatius quam omnes veteres ordines ac instituta revocata, redeunte Ferdinando, conspicere, in quibus honestissime ac penitus securus non vivere modo, sed omnino se ostentare posset, qui, ne ab illo recederent, tanta ac tam iniqua passi essent? Quis referet quae fuerit dierum illorum concursatio, quae gratulatio, quae ubique laetitia ac exultatio, cum reduci Regi, quem ut parentem omnes reverebantur, effusae ac pene e sedibus excisae urbes obviam ibant; ac veluti si pristina fortuna, quasi ab interitu vindicata potirentur, omnes sibi novam vitam nancisci viderentur? Harum gratulationum pars non minima Ioanni de Andrea cedebat; in quo cum uno vetus illa Regni fortuna exularet, una cum illa eum ab inferis excitatum tum piissimus Princeps, tum universa civitas complectebatur.

Bonis enim ac fortibus viris reditus fortunae novus est ad maiores labores gradus. Quomodo enim cessare ac quietam vitam agere, tanto viro in tanta bonorum inopia Rex concessisset? In eum igitur oculos intendens cum eum consalutatum adiisset, ac pene complexu tenens, beatum me reor dixit quod ad haec tempora mea me fortuna servarit, ut ex tanta procella, qua penitus me obrui putabam, incolumis emersus, haec iterum non videre modo, sed recipere ac uti possim. Verum hoc me beatissimum puto, quod superstites adhuc ac florentes

eos offenderim, quibus uti difficillimis hisce temporibus possim. Adhuc illud longe gratissimum quod et in his pristina illa virtus ac erga me studium supersit, quo qui careat nullo modo sperari potest, ut ea perficiat, quae ad tantas ruinas reparandas instituenda sunt ac peragenda.

Hac oratione gravissimum virum Rex confirmabat; difficillimum enim, quo maxime respublica indigebat, munus illi committere decreverat. Quis enim nescit in magnis bellorum turbinibus ac regnorum tempestatibus publicas opes ac aerarium in primis laborare? Dum enim ancipiti fortuna in magna conflictatione hi recedunt, hi subeunt, hi victores occupant, illi victi relinquunt, undique rapi, distrahi, discerpi vides, quod omnibus gratum est bonis, quae in promptu sunt, potiri. Ergo bella ac regnorum conversiones publica semper pauperies sequitur, ac inopia. Hac tum misere nostra res premebatur. Id humanissimum Regem maxime angebat. Cum enim magna caritas antea fuisset, magna omnium expectatio erat, ut una cum Rege vilitas ac copia rediret. Incendebat Regis animum populi studium; ac penitus infixa animo erat illa non dubia amoris significatio, qua eum non receperant modo libentissime, sed omnino amplexati fuerant, ac humeris deportaverant. Ergo nihil illi antiquius quam ne sua spe populus destitueretur, ac re, quae opinati omnes fuerant, ac de suo reditu vaticinati, comprobaret. Verum in summa rerum difficultate, summa prudentia ac virtute opus erat. Viri quaerebantur, quibus et populi desiderium, et Regis studium committeretur. Ex his unus optimus iudicatus Ioannes de Andrea; ergo huic in sanctius consilium admisso negotium datum ut aerarii curam gereret. Tunc publica res nostra

Digitized by Google

reviviscere ac recreari visa est : plausit excita civitas ; ac veluti gratulabunda Regi obviam occurrens de tanto consilio gratias agere visa est. Nec exitus fefellit : vix enim anno elapso, omnia ita composita sunt, ut suo iam officio functum, rude Ioannem Rex donarit.

Non me latet, auditores, permulta eaque minime aequa iudicia hanc viri missionem consecuta. Videbatur enim eo diuturniori honore Ioannes dignus, quo fidelius eo usus fuerat. Verum non sine quodam divino afflatu id factum, quae deinde consecuta sunt, declararunt. Summum enim repente fieri nemini dari sapientiorum sententia est. De nostro vero Ioanne memini me antea monuisse, ita eius vitae rationes, nescio quo fato aut vi, institutas fuisse, ut inter cogitationem atque actionem magna intercederet communicatio ; ut cum ex una in aliam alterno motu aliquid influeret, se invicem alerent ac roborarent ; ex quo summa quaedam ac exquisitissima ratio existeret. Id vero quomodo fieri posset, si nulla esset aut cogitandi, aut agendi intermissio ? Finge tibi virum omni tempore occupatum, nulla hora vacuum ac inter negotia semper versantem, baiulum quemdam, postquam primus mentis aestus resedit, factum sentias : contra si quis ita meditationi sit addictus ut ab illa aegre abstrahi patiatur, philosophum fortasse sapientem, sed minime rebus agendis aptum nancisceris. Varianda igitur vita ac studia ; ac cum aliquid tibi temporis sumpseris, quo animum negotiorum onere fessum doctrina, ac commentationibus reficias, quod reliquum est, negotiis ac communi utilitati impertias. Haec illa anceps vita est, ac sane difficillima ratio, qua cum non una natura ac vi praeditos se ho-

Digitized by Google

mines ostendunt, tum immensa in civitates ac regna commoda conferunt.

Ergo Ioanni de Andrea otium datum, non quo remitteretur ac flaccesceret, sed quo ut miles, cui gravissima bella instant, veluti in stativis compulsus, acrioribus exercitationibus instructissimus ac paratissimus ad negotia rediret. Inertis vitae ac solitudinis molestias a viro litterarum studioso abesse perquam splendide docuerat Cicero. Litteras enim aiebat nobiscum pernoctare, rusticari, peregrinari, ac ubique ut socias atque amicas adesse. In his sapientum vitam honoribus, ac commodis destitutam conquiescere. His satis vel in summa inopia beatos esse. Ergo in hunc se portum Ioannes, quodam veluti aestu iactatum recepit. Verum divino prorsus consilio *factum*, ut ex omni litterarum genere illud eligeret quo non tam animi relaxationem, quam novas vires ad ea, quae ipsi destinabantur, peragenda duceret. Ad Taciti enim annales se contulit. Consilium viri litteratissimi erat, eum in italicam linguam convertere. Iudicio enim erat adeo acri ac exquisito, ut in eius auctoris conversionibus, quae iam extabant, omnino non acquiesceret: aliquid illis deesse, quod addi posset, videbatur. Ergo novam ipse aggressus est; ac opus sane egregium tantum non confectum est. Utinam ultimam illi manum admovere potuisset; haberemus iam quo gloriari litterae nostrae possent, Tacitum tandem integrum nostra lingua loquentem! Verum illud erat viri fatum, ut in publicum non quid litterarum ac eloquentiae in convertendo Tacito hausisset, sed quid in regendorum populorum scientia operam ei dando profecisset, prodiret.

Hic nihil dico amplius, auditores: Ioannes ex illa ve-

Digitized by Google

luti palaestra eductus iterum aerario regundo manum admovere iussus est. Age nunc nobilissimum athletam in sua tandem statione consistentem, ac mandatas sibi partes agentem inspiciemus. Verum quid hic commemorem prius, quid posterius? Abstinentiam ne pene divinam an studium, ac sollicitudinem singularem? Sapientissima constituendarum rerum consilia, an in ipsis perficiendis vim ac celeritatem inauditam? Effusissimam in largiendo beneficentiam, an in perferendis malis patientiam? Quid illi contribules ac domestici impertierint, an quid exteri tribuerint? Quid illi studia debeant ac litterae, aut religio ac sacra? Haec cum omnia in difficillima illa procuratione sunt, tum ne a cura ac officio suo abessent Ioannes satagebat. Neque enim si pecunia ac opibus illa administratio definitur, minus curae illis iniicit, quibus mandatur; aut parum reipublicae interest illis committi, quibus hoc singulare ingenium, is excellens ac quodammodo divinus animus datus, ut sine ulla offensione cum omnium voluptate ac commodo geratur. Utinam ea esset hominum charitas, ea honestas vitae ac ingenium, quale veteribus illis Quiritibus fuisse plures scriptum reliquerunt, quibus nihil praeter virtutem sanctum; et si quid etiam ultra exquirerent, id laudem fuisse ac nomen ubique vulgatum. Itaque una sibi patriae charitate proposita, et gloria, multa et instituisse et confecisse, illi dicuntur. Nunc immutati penitus mores; ac cum senescente saeculo virtus etiam illa debilitata ac nobilius studium pene omnino extinctum. Itaque unus homini ad praeclare aliquid agendum subiectus stimulus, lucrum; ut nisi spes adsit aliquid pecuniae comparandi, neminem pene laborem suscipere, aut officio satisfacere videas.

Digitized by Google

Hinc auctum pecuniae decus; hinc certissima illa sapientum sententia comprobata, pecuniae omnia obedire. Quare non immerito firmamentum illam regnorum esse, ac maximum vitae praesidium dices. Si enim omnia quae singulis in regionibus fiunt vestiges, hinc et omnia derivari et eodem tandem redire vides; ut revera publicum aerarium fonti illi comparari possit, quem sacrae Historiae commemorant prima in illa humani generis statione ac cunabulis erupisse; ex quo cum quatuor ingentia flumina decurrerent, ad quatuor terrae plagas perenniter fluxisse; ut cum aquis suis omnia irrigarent, ubertatem ac copiam offerrent. Ergo et illud prono alveo fluere vides, et cui fontis huius claustra committuntnr, regnorum illi fortunam penitus committi. Respice quaeso quae ubique terrarum fiunt; ac quae ex rerum monumentis accepimus paulum considera: ex aerario publicam semper incolumitatem ac quietem pependisse; ut illo integro atque incolumi omnia composita quiescerent; turbarentur subito, ac sus deque ferrentur si forte aliquid vitii in illo irrepserit, ex quo cum communis tum privatus census periclitaretur. Quamvis igitur multi sint ac diversi quibuscum principes suas regendorum populorum curas partiuntur, uni tamen rerum summa credita videtur, cui aerarii custodia commissa. Quid enim militiae moderator, quid iudiciorum rector, quid studiorum, ac operum publicorum curator, quid religionis ac ordinis morumque custodes agent si copia deficiat? Finge optima hos et instituere et aggredi, num perficient si minus benigne ipsis ex aerario copia fluat? Quare horum oculi ad aerarii custodem semper conversi; ab ipso consiliorum suorum modum ac rationem accipiunt; ut si ipse in promptu pe-

Digitized by Google

cuniam habeat, qua uti possint, opera quae instituta sunt perficiantur: haereant infecta ac penitus omittantur si adversum suum iudicium fuerit aut minus benigna ad largiendum manus. Quare mirari desinamus si cum pauci admodum sunt qui tanto negotio perficiendo apti iudicantur; pene nemo sit, cui tanta gloria contingat, ut dicatur recte eam curam gessisse.

Equidem in hac re duo maxime spectanda iudico: incrementum et usum. Primum enim vigilando ut non modo nihil publici census depereat, sed augeatur novis semper accessionibus ac ditetur; tum illud certe gravissimum, ut quod profusorum esse ac prodigorum videtur, ne eius particulam vana quaedam ac inutilia sibi vindicent; sed ita omnia collocentur, ut si quid aegritudinis ac molestiae cives, ex quibus pecuniae corrogantur, ex illo exitu susceperunt, fructuum seges quos consecuti sunt, illam domestici census diminutionem consoletur.

Haec sibi omnia Ioannes proponebat; quae ex longa cum optimis rei administrandae scriptoribus consuetudine didicerat; et quotidianis ipse commentationibus et limarat et illustrarat. Quare inoffenso pede longissimum plurium annorum curriculum emensus est, in cuius aditu plerique offenderunt. Verum quid praecipue sapientissimo viro adstiterit quo omnibus se difficultatibus expediret; expeditasque aerarii copias reipublicae commodis suppeditaret, attendite. Si enim periculum administrationi illi imminet, id primum ex inopia aut cupiditate illorum est, a quibus geritur. Pecunia enim tractanda; inter opes undique sponte confluentes vivendum; ad manus omnino ingentes thesauri habendi. Quid aut ad cupiditatem irritandam opportunius, aut ad peculatum fovendum com-

Digitized by Google

modius? Huic periculo unum remedium repertum, si illis ea sive custodia sive tractatio committatur, quibus cum ingentes haereditariae divitiae sint, expletis iam ac penitus contentis, nulla sit domestici census augendi cura cui cumulum ex foedissimo peculatu addant. Verum si hi ex illo genere sunt, quibus cum divitiae sint omnia, in quibus summum hominis bonum constitutum putant, nulla fuerit animi excolendi ac doctrinae comparandae cura, num tantae rei agendae pares erunt, aut nullo illis cum communi censu publica incolumitas creditur? Haec illa difficultas est, haec sollicitudo, qua magnopere principes torqueri videmus, cum gravissimo huic negotio aliquis praeficiendus est: aut enim stupido e ditiorum genere stipiti, aut callido e columnariis veteratori publica fortuna committenda. Par in utroque consilio periculum; sive enim ex imperitia, sive ex cupiditate, semper illi pereundum.

Age ex tristissima hac consideratione animum expediamus; ac ex viri memoria eum reficiamus, cuius virtute difficultates omnes explicatae, ac publica incolumitas confirmata. Ioanni quidem nonnisi modicae erant divitiae; tenuis census; ex temporum enim iniuria, ac rerum publicarum conversionibus factum erat ut domestici census summa graviter minueretur. Verum avitas illi opes adversa fortuna eripere potuerat; nullo vero modo splendidiorem ab avis acceptam virtutis haereditatem. Hanc ille et custodierat caute; et doctrina, ac exercitationibus homine ingenuo dignis auxerat; modicus igitur opibus Ioannes; animo ditissimus. Nullum ergo ex sua tractatione publicae pecuniae periculum. Quis enim suam abstinentiam non commemorat? Quis non miratur cum

meminit sua illum tenuitate contentum, cum posset subito ex angustiis illis se expedire, maluisse honeste modica sua fortuna uti, quam cum dedecore ac reipublicae detrimento ditari? Quae non erat tum hominum admiratio, cum viderent eodem vultu, eodem habitu, eadem severitate nobilissimum virum in publicum prodire, ac sui muneris negotia expedire, qua antea utebatur? Imo si quid in vitae suae cultu immutatum est, illa macies erat ac squalor quem studium illud suum adsiduum ac acerrima in communi bono curando cura afferebat. Hinc illud factum, ut publica fides, quem primum suae administrationis fructum eum collegisse novimus, subito recreata convalesceret. Cum enim vix nomina facere aerario liceret tenui admodum accepta summa pro ingenti foenore, uno die citatissimo cursu eo evecta est, ut nullius nisi qui octo supra centum nummos afferret, nomen reciperetur. Tanta scilicet invalueral in omnibus ordinibus de Ioanne de Andrea existimatio, ut fides quae pene omnino conciderat, firmissima ac tutissima haberetur.

Haec satis sit commemorasse, ne tanta viri abstinentia praeconio suo careret. Verum alia longe maiora me vocant quae nefas esset praeterire. Haec enim gloria si cum hominum cupiditate comparetur, magna quidem est atque inaudita; verum tenuis omnino ac in minimis ponenda, si publica utilitas spectetur. Quid enim commodi est, si nullum detrimentum publicus census capiat? Hunc augeri, hunc ditari, hunc adeo explere ac cumulari, ut ex copia et pene satietate aliqua in commune commodum evadant atque exundent, id ingenii est solertis atque industriae; id fidei atque officii. Primum enim cogitandum qua id ratione fieri possit. Huc animum advertite,

auditores, ut cum quantum in hoc incommodum sit videritis, quid de Ioanne de Andrea iudicandum sit statuatis. Ditandi enim aerarii ratio quamplurimis expeditissima; ea vero est ut a privatis pecuniae quamplurimae novis vectigalibus imperatis corrogentur. Hoc magnum illud dissidiorum fomentum, quo populi, ac populorum rectores scinduntur; ut nulla ope, nullo studio gratia conciliari possit, ac diuturna conflagratione civitates incendantur. Quantum pecuniae aerario additur, tantum devotionis ac studii in principem detrahitur. Quis igitur durissimam illam publici census augendi rationem probet, qua privatorum domus penitus exhauriuntur? Excitentur, adsint viri sapientissimi, quorum ingenia haec iampridem cura torsit, quo rationem hanc tandiu expetitam invenirent, ac *civitatum* rectoribus proponerent, qua cum commune ditescat, privati census non exhauriantur. Ioanni illa sive ex aliorum scriptis hauserit, sive ipse meditando extuderit, sane facillima. Difficilis enim haec cura est, ubi aut pauci aut steriles agri sint, ex quibus copia colligatur, aut desit agris hominum labor, atque alacritas, quae subigat, ac colat: verum ubi haec adsunt, quid superest nisi ut haec cessare ac otiari non sinantur? Ergo huc omnia Ioannis studia conversa; in hanc cogitationem animum demisit; hoc dies noctesque accuravit: quid autem profecerit, testis vastissimus ille Apuliae inferioris tractus, quo vetus illa ac celebratissima Daunia continetur. Huic pene omnino cessare necesse erat. Ex veteri enim instituto perpetuis ille colonis locatus erat; verum ea lege, ut nonnisi minimam agri conducti partem aratro subigere, ac frugibus frequentare possent; reliqua pascuis mutandis relinquerentur: id vero annuo vectigali non modico redimerent.

Digitized by Google

Quid incommodi in hoc esset, malo in aliorum iudicio relinquere quam in oratione mea ponere. Illud praestat commemorare hoc per Ioannem amotum; dum magno animo ausus est legem proponere, qua liberi omnino essent agri illi; ac omnibus copia fieret illos qua liceret ratione excolendi, ac culturae, quae aptior videretur, addicendi. Legem magno animorum motu agitatam, ac tandem sapientiorum iudicio non confirmatam modo, sed maxime collaudatam mors Ioanni impedimento fuit quominus a Rege sapientissimo ratam habitam cerneret, novamque inde sibi comparatam esse gloriam laetaretur.

Utinam eadem ille lege omnia, quae instituerat, perficere potuisset! Verum specimen praeclarissimum illud fuit ac exemplum, ad quod cum non Neapolitani modo rerum moderatores, sed exterae gentes se componerent, magnam publicae rei, ac communi thesauro accessionem attulerunt. Sed nobis certe, quibus tantum virum Deus largitus erat, fructus non modicus cessit. Verum quae tanta potest esse dicendi facultas, quae ne dicam exornare, sed vel enumerare ea possit, quae hac ratione publico censu in commune commodum effecta sunt? Duo tamen facere non possum, quin commemorem; pontis primum Liri trajiciendo constructionem: ac celeberrimum illud lacus Fucini aquis deducendis emissarium. Haec jampridem inchoata, haeserant; ac desperato pene ex pecuniae defectu opere, miserae gentes, quarum maxime intererat illa perfici, non mediocri aegritudine metuque laborabant. Lacus enim illius interceptae ex obstructo veteri emissario aquae ac aestuantes, vastationem, ac ruinam finitimis minabantur; exciso vero ponte, qui ex coniunctis ratibus constabat,

interclusa omnino erant inter Neapolim ac Romam itinera. Ergo omnium pene votum fuerat, ut ille non reficeretur modo; verum ea ratione construeretur, ut tutum ac stabile iter trajicientibus praeberet. Quamobrem eo molestius intermissum opus videbant, quo gratius antea fuerat, quod illi per nostros Reges manus admoverentur. Verum omnis formido per Ioannem soluta: publico enim censu per suas curas subito instaurato atque aucto, praesto fuit summa; hac publica incolumitas asserta ac confirmata. Nam et pontis absoluta fuit instauratio, et Fucini lacus alveus ita aggestionibus detersus, ut in Liris fluenta emissae aquae interminatam planitiem aratro subigendam tradiderint, uberrimasque fruges vicinis oppidis suppeditarint.

Verum quae pars vitae est cui Ioannis beneficentia defuit? Derivationes eo frequentiores, ac uberiores quo auctior census ac publica summa sarta tecta *per eum* praestita. Ergo militiae stipendia, artibus praemia, publicis operibus praesidium, omnibus ornamentum, ac decus paratissimum. Verum illa facere non possum, quin propius attingam, quae ad studia attinent. Intelligebat vir sapientissimus se quantus erat totum studiis deberi: cumque ea esset in patriam charitate, ut nollet commoda quae illi ipse afferret cum sua vita extingui, id egit, in id incubuit, ut ea instituerentur per quae ipse continuo reviviscere quodammodo posset, ac publicis commodis adesse. Ergo eo cogitatione abiit, ut cum nostra hac in civitate quamplures sint ludi omnibus pene disciplinis excolendis constituti, duo adderentur, quibus id praecipue propositum, quod ad ea studiorum genera pertinet, quibus quae sui sunt muneris illustrarentur ac exco-

Digitized by Google

lerentur. Quamvis quodnam ex publicis his nostris muneribus est, cui per Ioannem non provisum? aut quodnam est quod illi incrementum ac decus se non debere fatetur? Adeste, auditores, ac quem animum vir hic in patriam ac bonarum artium decus gereret, considerate. Cum enim hic saepe accidat ut certamina ac concertationes instituantur quibus multis concurrentibus definiatur, cui litteraria aliqua ars publice profitenda mandetur, accidit ut cum uni victori praeclarum illud munus cedat, reliqui omnino exortes ac vacui discedant. Verum ea conditione illi non sunt, ut omissi, sibi et reipublicae cessent. Consilio igitur providendum, quo sua etiam his et laborum merces et praemia essent. Consilium addidit Ioannes. Dolebat hic iamdiu aegerrimeque ferebat honores et officia apud nos saepe illitteratis ac rudioribus mandari; neque enim si Sinensibus ea ex veteribus institutis cura, ut rempublicam non capessant nisi qui facto periculo se doctos ac certa quadam eruditione expolitos probarint: ullo modo ferendum arbitrabatur, publica munia etiam ex minimis ab his exerceri, quorum vel nulla vel levis esset cultura; minima scientiae opinio. Hinc enim latissimam patere vidit viam teterrimae illi regnorum pesti, ex qua nulla non pernicies pertimescenda. Haec ut labes a nostra republica abesset, rationem Ioannes de Andrea suppeditavit. Illis enim certaminibus aderat; eorum qui certabant nomina recipiebat; quos victos abire videbat, his praesto erat; sibi adiungebat; aut aliquem in publicis muneribus locum ipsis dabat. Verum in quae maiora hinc commoda derivata dicam, in publicos honores ac officia, an in litterarias disciplinas ac ludos? Hinc enim excitata ingenia; hinc additi ad studiorum labores stimuli: quibus enim tan-

Digitized by Google

tum ingenium non esset, ut summos honores adsequi possent, illa tamen spes supererat, sibi aliquem locum non defuturum, dum aliquod sui specimen dare possent. Ergo recreati ludi; renovatae doctrinae; instaurata instituta, ac ut discentium numerus, ita in discentibus ardor auctus. Mitto nunc reliqua; quaedam enim menti veluti extra se raptae occurrunt, quae eam hic immorari non sinunt.

Nam illud quaerere libet; virone huic erant nati, erat uxor, erant omnino domestica negotia, in quae suarum curarum pars impendenda? Natos duodecim ex uxore tum nobilitate generis, tum splendore virtutum clarissima susceperat, quorum natu maior, avito nomine insignis, insigni etiam lumine enitet, cum et eques hierosolymitanus, et publicis muneribus in exemplum fungatur. Negotiis igitur vacuus certe esse non poterat. Quomodo autem tanta ac tanto studio in commune commodum conferre poterat? Te, Paule sanctissime, appello: te hic monitore ac doctore opus est; neque vereor ne aliquis me reprehensurus sit quod tuo hic testimonio utar, cum de viro civilibus studiis dedito, verba facio. Fallitur profecto si quis putat nullam inter divinam ac humanam prudentiam coniunctionem intercedere; ac alia lege eos regi qui vitae huic brevi ac fluxae consulunt, ac qui aeternae illi ac incommutabili comparandae student. Quid enim ad vitam recte agendam opportunius quam consilium ac constantia? Finis per illud qui sit attingendus; tum via qua ad eum perveniatur, cognoscitur; per hanc autem difficultatibus, quae forte occurrunt, obsistitur. Haec vero unde ducere licet nisi ex altissimis illis rationibus quae sanctissima nostra religione continentur? Quid enim in vita maxime

Digitized by Google

sequendum; cui studendum quo tendendum omnino ac properandum quis recte novit, nisi cui religio adsideat custos, ac monitor fidelis, ac facem praeferat? Properanti autem quantae obiectae difficultates, quanta discrimina opposita, quanta veluti bella imminentia, quae nisi superentur, beatus ille terminus non attingitur? His vero quis se expedit nisi cui vis illa coelestis ac tacitus afflatus adsit, qui cum assilientium undique hostium insidias aperiat, ac vim repellat, animo vigorem addit, quo non deficiat? Ergo merito hominem religioni impense addictum hunc in civili vita ac communibus negotiis expeditissimum futurum praedicamus. Quare ea Pauli sententia fuit Episcopos, quos informabat, eo accuratiores in sacris regundis fore, quo fidelius res domesticas expedirent. Ergo id officii ab illis exigebat ut domus curam haberent; hos confidebat, fideles sacrorum ministros quales esse eos cupiebat futuros.

Mirari igitur desinamus, si ea mente, ea virtute, ea omnino vita Ioannes fuit ut cum duas veluti familias haberet quibus consulendum, ita sua studia inter eas partiretur, ut uni non deesset, quod altera haberet. Et de sua quidem domo si illi adesset Ioannes, vos testes appello viri praeclarissimi; qui ex eo orti, perfectam eius imaginem moribus expressam, quotidie nobis fruendam exhibetis: ac te in primis, quem sacra purpura ornatum, ac supremae librorum edendorum Romanae censurae praepositum, omnibus virtutibus longe lateque fulgentem universus orbis suspicit ac veneratur. Quare si quid adhuc deesse videtur quo hoc viri in sua domo regenda studium constet, ab illis ipsis petatis, qui oratione non indigent, quo doceant, sed vita sua ac mori-

Digitized by Google

bus ostendunt. Neque enim multum Ioanni laborandum, quo non informaret ac moderaretur, satis erat se illis videndum praebere: in eum enim oculos cum intenderent, iam perfectissimum omnium virtutum exemplar intuebantur. Hoc illos exemplo tenens ac lacrimabundus, ostendant, aiebat, gnati, magnificas alii aedes ac currus quos a parentibus acceperint; vobis satis sit ea retinere quae a me accepistis. Amplissimam ego haereditatem vobis tradere arbitror, si quidquid virtutis in me est, ac sapientiae cum vobis communicem: hoc vobis patrimonium carum sit ac iucundum; hoc omnibus divitiis potius: hoc si vos ornatos ostenditis, nihil erit quo aliis fortunam ad opes invideatis. Hac ille oratione eos confirmabat.

Haec cum penitus viri animo insculpta essent, quid mirum si tanta inter negotia constitutus cum se totum uni daret ab aliis non desideraretur? Si quid enim in vita titubatur; si quid aliquando ambigi aut mutari videmus, id totum ex animo est, ac iudicio quod parum firmum sit, ac certum. Cum enim, nulla definita sententia est, nulla certa doctrina, huic semper veluti in pelago turbido ac aestuanti nutandum. Id illis contingit, quibus cum aut nulla, aut levis eruditio sit, ab eventibus semper ac rerum vicissitudine pendendum. Verum certa haec ac firmissima doctrina, unde homini suppetit? An aliquis horum ludorum est quibus se homines committunt, qui id iactare possit? Aut quinam hi sunt, quaeso, aut quae tandem eorum doctrina? Nonne aeterna inter ipsos pugna est, ac absque fine concertatio? Una, una, doctrina firmissima eaque est, quae ex religione ducitur. Qui igitur huic haeret, hac regitur, hanc ma-

Digitized by Google

gistram ac consiliariam habet, huic firmissima erunt iudicia, ac illa quae ex iudiciis vim habet, constantia.

Quibus iactationibus, quibus procellis obiectus fuerit Ioannes de Andrea, quis merito proferet? Mitto invidorum ac obloquentium iudicia: mitto muneris ipsius ac negotiorum quibus praeerat natura, quae cum ab hominum studiis ac labore pendeant, fluctuare ac variari necesse est. Accessit acerbissima ex domestico luctu cura. Duo enim ex natis quos ut maxime florentes, ita carissimos, Ioannes habebat, subito pene casu erepti sunt: Aloisius nempe, eques hierosolymitanus, et iam litibus iudicandis in curia neapolitana praepositus, et Henricus, qui in romano nobilium collegio tantum in humanis litteris, et in disciplinis philosophicis progressus erat, ut decem numismata argentea, praemium quidem singulare, tulerit. Tunc aliquis Neapoli metus; tunc vel ipsis bonis atque amicis formido, ne Ioannes tanta iactura percussus, ab assidua illa sua cura desisteret. Verum omnis metus brevi solutus, cum virum solertissimum viderunt eodem studio publicae rei atris vestibus obsitum operam dare ac antea lectissimis illis natis stipatus, cum communi habitu utebatur. Omnia illi suo impensissimo religionis studio debebat.

Et re quidem vera si quid in publicis muneribus tentatur; ac concussa nonnunquam solertium virorum instituta titubant, ac in praeceps ruunt, id, si causam acute scrutaris, ex hominum iudiciis fieri reperies; iudiciis autem, si recte intelligis, levitatem ingenii, ac malorum consiliorum conscientiam vim addere patebit. Cui enim certa sententia non est, huic aliorum opinioni serviendum: quem vero scelerum ac malarum artium me-

Digitized by Google

moria vexat, huic infestissimi quicumque ingenio praediti, ac doctrina exculti, acute in factis cernere ac de vita iudicium facere norunt. Hinc bonos malis suspectiores tirannis Sallustius aiebat. Alia omnino Ioannis ratio: unum illi certissimum cui nefas contradicere, religio: reliqua ut probabilia esse ducebat ita hominum arbitrio relicta, ut de his quae vellent cogitarent. Suorum vero factorum sibi conscius cum sentiret nihil nisi ex vera caritate, ac severioribus institutis agere, nihil ab aliorum iudiciis sibi timendum existimabat. Ad eum liberrimus omnibus aditus erat; nulli vetitum quin si quid a suo iudicio discrepans, sentiret, ipsi proponeret; aures demisse dabat; quae proponebantur expendebat, enucleabat, et si quid boni his inesse deprehenderet, pudori sibi non ducebat illud amplecti ac sequi. E recentioribus ne inventis, an ex veterum institutis aliquid esset, nullo discrimine habebat, modo ab honestate non discreparet; ac aliquid boni in commune commodum ab illo derivari posset: conferebat demum quae diversa ac discrepantia ab aliis proponebantur; ac cum omnia expendisset, quod optimum factu videretur, huic primas dabat. Quid mirum, si optima semper et institueret et ageret? Hinc igitur intelligitis quantum nobis bonum Deus dederit, quod hisce muneribus Ioannes de Andrea usus sit, si maximo religionis bono per eum potiri, ac frui licuit.

Verum si tanta illi ipse accepta referebat, haec etiam habuit quo gratiam ipsi haberet. Cum enim eligendus esset cui sacri huius nostri cultus cura committeretur, nihil dubii piissimo Regi fuit, quin hunc honorem Ioanni deferret. Verum si mihi tunc Regem adire licuisset, ita cum eo collocutus essem: Quae haec coniunctio est; aut

Digitized by Google

tolerabilis haec societas sacrorum ac pecuniae! Nonne continuo inter se bello pietas ac nummi dissidentes? Qui publicae pecuniae qua augendae, qua conservandae addictus, totus in hisce curis est ac negotiis, hic adeo studiosus sacrorum erit, ut eamdem illis curam impertiat? Periculum est, ne audacior ac robustior mitiorem ac debiliorem sibi subiiciat, ac devoret. Hic eidem uterque creditus? Quae non timenda ex hac societate? Hac ego oratione apud Regem usus essem; verum ille paucis se purgasset; se eo id consilio fecisse, quod pro certo haberet, ratione tantum fieri posse, ut quod frustra antea tentatum est, ipse consequeretur, ut omni servitute religionem solutam videret, si eidem illam committeret, cui thesauri cura incumbebat; quod ea erat mente, eo animo Ioannes de Andrea, ut cum utramque in sua domo veluti hospitem, publicam pecuniam ac religionem haberet, illam huic addiceret. Haec ille mihi respondisset: verum antequam suum ab eo consilium doceremur, iam omnia Ioannes re comprobabat.

O dies illi beatissimi, cum primum hunc sibi honorem mandatum Ioannes vidit. Hunc, quem antea trepidantem ac quodammodo aegrescentem in altis muneribus capessendis viderant, nunc quum novo huic negotio praeficeretur, laetabundum ac pene extra se raptum conspexerunt. Veluti enim si parentem ex inferis excitatum vidisset, religionem complexus, imo demississime ad pedes provolutus, salutavit, deosculatus est, ac quantus erat, quantum valeret, totum se ei devovit. Aegram ac squalentem vidit quod multa antea hic facta erant, ex quibus gravissimas molestias acciperet. Ergo commotus lacrymas effudit, ac suam operam pollicitus statim omnes suas

Digitized by Google

curas ad molestias illas vel leniendas vel amoliendas convertit. De suo primum censu, quod potuit, obtulit: stipendio enim, quod ei iure ob novum hoc onus debebatur, sponte cessit; omnes deinde eius partes rimatus, quae concusse labarent, his succurrit, his opitulatus est. Laetamur quamplurima templa, quae ex tristitia temporum civilibus usibus addicta erant, sacris restituta? Restituit Ioannes de Andrea. Omnibus vero a publicis vectigalibus immunitatem sacris aedibus datam? Ioannes de Andrea dedit. Varios sacros ordines, iam antea dissolutos ac dispersos, iterum coire, ac in suis aedibus colligi? Collegit Ioannes de Andrea; et praesertim Ignatianum et Hierosolymitanum, cuius et eques torquatus inter priores extitit, et patronus munificentissimus apud Neapolitanos et Sicilienses. Aliis ex publico censu, quo honeste vivere possent, praeberi? Praebuit Ioannes de Andrea. Auctos presbyteris metropolitani templi reditus? Auxit Ioannes de Andrea. Omnibus honor semper habitus; decus ubique sacrorum adsertum; omnia denique acta, per quae susceptae ex praeteritorum temporum iniuriis labes delerentur.

Eia religio, eia mater sanctissima; te libet hac extrema mea oratione appellare: vides carissimo huic tuo sive filio, sive assertori vires deficere; ac vitam plus sane laboribus quam annis attritam, fato cedere? Si tanta tibi vis non est quo immortalitatem ipse nanciscatur, ne committas ut tantorum promeritorum fructu careat. Quae tua intersunt, tu certe curas: sine nos pro nostro te officio exorare: si tibi ille carus: si tuae illi debitae gratiae quod te secutus est, tibi studuit, tibi servivit, memineris, si quid in civili administratione nobis impertivit, id cum

ex tuo afflatu ac consilio factum, ita ad te etiam pertinere. Ergo tuum quoque est, pro his illi gratiam referre. Nobis tantae opes non sunt, ut pro suis laboribus remuneremur; neque ille si haec vivus despexit, nunc cum omni humana cura solutus est, illis delectatur. Tuae tantum opes illi debitae: tu tantum harum ei impertias, quantum suus animus cum natura vastissimus, tum tuo munere immensus capiat. Et si quid etiam pro brevi hac et fluxa vita exorandum, quod ille capiat, quod prodesse possit, en tibi soboles, quam suo conspectu orbatam inter civiles procellas ac tempestates publicas relinquit. Si ille quo officio, quo publicae utilitati, quo tibi adlaboraret, aliquid suarum curarum ipsi denegavit, id nunc a te merito petit, ut ipsa suorum curam suscipias. Auguror enim si tu illis adsis, nunquam tuum tibi Ioannem de Andrea defuturum; sed in clarissima illa progenie semper reviviscentem, suum in te studium renovaturum; ac quidquid ipsi contuleris, paternae pietatis memorem, ac virtutis haeredem, magno foenore redditurum.

Digitized by Google

Honori et nomini eius haec dedicata est inscriptio Neapoli in sacello familiae suae ad sancti Dominici aedes maiores.

IOANNI FRANCISCI XAV. DYN. NEAPOLIT. F. DE ANDREA
FERDINANDO I. ET FERDINANDO II.
AB INTERIORIBVS CONSILIIS
HONORIBVS AVLICIS
ET EQVESTR. ORDINVM PLVRIM. CINGVLIS EXORNATO
MILITIAE HIEROSOLYMARIAE
TVM EQVITI TORQVATO PRIORI
TVM PATRONO APVD NEAPOLIT. ET SICILIEN.
CVIVS EGREGIAS LAVDES
HVMANIS DIVINISQ· DOCTRINIS
IMMOBILI PIETATE INCORRVPTA IVSTITIA
EXIMIA PRVDENTIA
AERARI EXHAVSTI ET AERE ALIENO OPPRESSI
LENISSIMA AMPLISSIMAQ. RESTITUTIONE
ABSTINENTIA IN EXEMPLVM INVICTA
QVA ANTIQVITATIS ABSTINENTISSIMOS EST AEMVLATVS
CONCORDIA SACERDOTI ET IMPERI
TAM LABORIOSE QVAM GLORIOSE FIRMATA
POSTERITAS ALIT HISTORIA TVETVR RELIGIO PROBAT
FRANCISCVS XAV. DYN. AVPHIDENAT.
HIERONYMVS S. E. R. PRESB. CARDINALÌS
TIT. HAGNE EXTRA POM.
PARENTI DESIDERATISSIMO INCOMPARABILI
MORTALITATE INTERCEPTO INGENTI OMNIVM DOLORE
PRID. KAL. APR. AN. M. DCCC. XLI. AETAT. LXV.
CINERIB. EX AEDIC. SVBVRB. FAMILIAE SVAE
AD MARIAE D. N. A FLETV
IN PRISTINVM HOC FAMILIAE ITEM SVAE SACELLVM
LVGENTE POPVLO ET LAVDANTE TRANSLATIS
ARCAM SEPVLCRALEM EFFIGIEM TITVLVM POSVERE
IV. ID. IVL. AN. M. DCCC. LIII.
MAIORA MERENTI

SS 94452

Digitized by Google

NEAPOLI,

EX REGIO TYPOGRAPHEO.

AN. M. DCCC. LVI.

Digitized by Google

Volume restaurato presso il Laboratorio di Restauro della Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze

segnatura **Misc.443.8** **vol. n°**

restaurato nell'anno 2008

smontaggio	totale	supporti 2	nastri di lino
spolveratura	manuale	cucitura	intrecciata
fissaggio		indorsatura	carta giapponese e cotone
lavaggio		capitelli	
deacidificazione		quadranti	senza
rinsaldo		ancoraggio	
rattoppo	carta giapponese e Tylose mh 300 p	lacci/fermagli	
velatura		coperta	in [illegible] a tasca
imbrachettatura	carta giapponese e tylose mh 300	segnatura e [illegible]	impressione diretta
carte di guardia	tredi 20231 F	d[illegible]	staccato

legatura precedente/originale in [illegible]

Digitized by Google